

Digitized by Google


10
8ME
23

REGIS ad arma, ſimul Reges venêre ferarum
Tractibus è variis, inde LEO, hinc AQVILA.
Belli robur EQVES, plenis quoque venit in armis.
Et propè ſtant FASCES, & DIADEMA triplex.
Dum pariter REGI, mundi fortiſsima pugnant,
Quid mirum FASCES, & DIADEMA ſequi?



SIGISMVNDO III. POLONORVM SVECORVM GOTHORVM VANDALORUMQUE Regi potentissimo.

ASTRA atque bella Domini Exercituum in conspectum Maiestatis Vestræ do, Serenissime ac Potentissime Rex. In tuis illa Regnis hęreditariis atque adeò Tibi olim militarunt, cum octo pænè sęculis, cum antiquo illo Dracone, qui sibi Aquilonis potissimum Imperium destinarat, perpetuum bellum gererent, donec tandem, eo de sua sede deiecto, simulacris inanium Deorum arisq; euersis, superstitionibus deletis, toto Septentrione victricia Crucis CHRISTI trophæa erexerunt, vnius veri Dei thronum ac Regnum stabilierunt, animos mortalium hominum ad satus Euangelij accipiendos disposuerunt, tenebras cimeriis densiores, cœlestis doctrinæ luce dissiparunt, effeceruntque, vt veritati vanitas, pietati superstitio, & idolorum cultus veræ cederet Religioni.

Atque hæc est victoria omnium, quæ ad Dei gloriàm illustrandam obtineri possunt, nobilissima, quam diuino afflati Spiritu olim Prophetæ prænunciarunt. *Eleuabitur* (dixit I- *Isa. 2.17.18.*
saias) *Dominus solus in die illa, & Idola penitùs conterentia.* Et paulò post: *cap. 31.7.*
In die illa, proiiciet homo Idola argenti sui, & simulacra auri sui, quæ fecerat, vt *Zach. 13.2.* *Ezech. 30.13.*
adoraret talpas & vespertiliones. Et alibi: *Disperdam simulacra & cessare* *& 6.4.6.*
faciam Idola. Quæ omnia tunc in Svecia & Gothia, euentu ipso sunt comprobata, cum verè Apostolici viri Herebertus, Ansgarius, Rembertus, Vnno, Sigfridus, Æschillus, aliique tam gloriosi operis consortes, eorum discipuli ac successores eximiique Duces, prima militiæ Christianæ signa intulerunt.



Patiatur oro Maiestas Vestra, Rex Clementissime, sibi paucis illam numinum ac superstitionum, seu vanitatem, seu varietatem, in mentem reuocari, quorum tum in Regnis

):(illis,

illis, tam religiosa fuit veneratio cultusque. Hinc enim liquido constabit, quanto Dei immortalis beneficio maiores nostri fuerint illis laqueis expediti, cum intelligemus quanta Diaboli fraude fuerint irretiti.

Solem, Lunam suosque Reges quemadmodum Persæ ac Chaldæi, vt numina colebant: animantes etiam quasdam cum Ægyptiis: Duces, Heroas, qui cæteris sapientia præstiterant, cum Græcis: cum Romanis omnium gentium seruiebant erroribus, & magnam sibi videbantur assumpsisse religionem, quia nullam respuebant falsitatem. Soli ac Lunæ primos hebdomadæ dies dedicatos habebant: Disæ tertium; Othino seu Odino quartum; Thoroni quintum, eidemque primum anni Mensem; Friggæ sextum; Flammæ vltimum, quorum nominum, omni reliqua superstitione sublata, etiamnum vsus est. Et Thor quidem Odinus ac Frigga Maiores Dii dicebantur, non Septentrioni tantum, sed etiam reliquo ferè orbi noti. Minores verò dicti fuere: Goëa Thoronis filia, cui secundus anni Mensis nuncupatus: Vagmostus & Hadingus, præsidiarii in bellis Dii: Rostiphus, exquisitis præscientiæ studiis celebris: Rostarus, stupendæ immanitatis: Fro seu Froto Deorum Satrapa: Methotin, Summus Deorum Pontifex, dignus & ipse qui coleretur iudicatus, quod sacrificia ceremoniasque quibus reliqui Dii colerentur, distinxerit & ordinauerit: Mara, nocturnum spectrum & dormientibus insidiosum: Neccus, nullam beneficam Diuinitatis opinionem adeptus, sed certa tantum pernicie metuendus, quod aquis suffocaret: Et ne Gothico Oceano suus deesset Neptunus, ignoti nominis virgini de Blakulla, ventorum ac maris imperium concessit antiquitas. Fatales sorores seu Nymphæ in syluis, montibus & speluncis, sua templa nullo humano artificio, præstigiosis quibusdam carminibus extructa habebant. Ab his oracula & consilia dubiis in rebus petebantur, eisque vota solenni ritu nuncupabantur. Lares, Lemures, Fauni, Satyri inter quos Mimmingus quidam clarus, Laruæ, Stryges, Lamiæ, Manes (Gastæ dicti) & similes monstrorum greges, Eluarum chorea dicebatur. Quid dicam

Ab hac Disa solennes tot. Septentrioni Nūdinæ & iudicia publica (dicta Disting) Vbsaliæ in plenilunio Ianuarii constituta.

cam

cam de Lucis, arboribus ac fontibus, quibus etiam diuinitatem quandam inesse credebant? quid de sacrificiorum ritu, ceremoniis, neniis & exemplis? Dithmarus, quotannis Mense Ianuario, nonaginta nouem sortito eligi solitos, qui Diis immolarentur, commemorat; idque durasse vsque ad Henrici I. Germaniæ Regis tempora. Faustissimum verò id Regno libamen existimatum, si sors Regem tetigisset, quam victimam totius populi multitudo, summa congratulatione ac applausu prosequebatur. Quid referam de Auguriis, Aruspicina, sortilegiis, præstigiis, veneficiis, Ligularum innodatoribus, Pythonibus, Necromanticis aliisque eius generis artibus, quibus deditissimi fuère Boreales omnes, in quibus excellere non plebeia tantum & vulgaris laus visa; sed digna etiam quam Reges ipsi ac primores appeterent.

Dith. lib. 1.

Plura de his. Annon. Dithmarus, Adamus Bremen. Saxo Gram. Olaus Magnus.

Huius tam densas Idololatriæ tenebras, hæc scelerum portenta durissimaq; seruitutis iugum non prius ceruicibus suis depulit excussitq; Gothia ac Suecia, quàm Herebertus, Ansgarius cæteriq; egregii CHRISTI athletæ, Apostolica auctoritate missi, spirituale classicum cecinerunt, propositisq; sibi beatæ immortalitatis prœmiis æternoq; congiario, aggressi hostem sunt, ignoto illo quidem, sed in Domini bellis vsitato & valido armorum genere instructi, fame, siti, laboribus, ærumnis, vigiliis, ieiuniis, frigore, nuditate, quibus tam vasta Aquilonis Regna Ecclesię subiecerunt, egregioq; tantæ victoriæ fructu potiti, victis salutem, sibi gloriosam pro CHRISTO mortem compararunt.

Nihil apud Boreales ante illud tempus erat doctrinę, nihil vrbanitatis; ad feritatem barbariemque nati videbantur: vxores pro libitu aut opibus cuiusque, vulgo plures vel pauciores; diuitibus ac principib. pænè innumerę. Vulgare tum erat fœminas ęquè ac mares bellis interesse, in acie pugnare, sępè etiam singulari certamine cum hoste congredi. Non rarò, cum eos patrię fastidium cæperat, vt sunt leuissima in barbarie ingenia, siue glorię aliqua cupiditas, siue alius animi impetus furorq; agitauit, ceu diluuio quodam vicina remotaq; regna inundarunt & occuparunt. Nullum tum ęqui

aut iniqui discrimen, nullum nefas, nisi quod metus aliquis alienæ potentię prohiberet, quidquid audendo potiri posset, id fas, id iustum habebatur. Nulla verę religionis nō dico cognitio, sed nec cogitatio. De CHRISTO aliisque nostræ fidei mysteriis, ne fando quidem audierant, densissimis ignorantię tenebris inuoluti, omniq; vitiorum cœno immersi. CVM primum verò diuini illi viri, lucem Euangelicam illis partibus intulerunt, nullę tam propinquę polo Boreales nationes, adeò ad omne humanitatis genus excultæ, ad omnem literaturam virtutemq; vt Gothi Sueonesque. Itaq; Reges illi qui ante, non hominum modo in terris, sed vix Deorum vllam in se potestatem agnouerunt, cum ipsi se pro Diis & haberent, & vellent haberi; postea vltrò in Ecclesię ditionem concessere, summoq; eius in terris Pastori ac Principi sese submisere. Cuius iussu atq; auctoritate Episcopos in eorum regnis constitutos, eo loco habuere, vt toti ab eorū nutu consilioq; penderent, ad eorum salutaria præcepta vitam moresq; componerent: magnam deniq; suæ potestatis partem cum iis paterentur sibi esse cōmunem. In Republica maximam omnium rerum potestatē pænes Episcopos Sacrorumq; Præsules esse voluerunt, adeo vt etiam in eligendis Regibus, non ius modo, sed etiam prærogatiuam suffragii, inter reliquos proceres haberent, nefasq; esset, quenquam pro Rege haberi, nisi cui Archiepiscopi manu diadema esset impositum.

Hinc profusis sumptibus Collegia & Cathedrales Ecclesiæ dotatę, Episcopis pro dignitate attributi reditus, Abbatūque ditissima monasteria supra sexaginta extant, quæ ad calcem libri recensebimus; templa, Oppida, Arces, Ciuitates, liberalium disciplinarum Gymnasia publica erecta, leges Ecclesiasticæ ac Ciuiles statutæ, Bibliothecæ publicę institutæ, quarum vna celeberrima fuit, quæ Visbij Gothlandiæ Ciuitate visebatur, apud Cœnobium Religiosorum Ord. S. Benedicti, in qua duo millia Codicum duntaxat vetustissimorum numerabantur; & recentium præterea ingens numerus.

Et certè illud verè affirmari potest; vna cum Religione omnium aliarum rerum copiam atque adeò ipsam felicitatem

ad Go-

ad Gothos Sueonesq; peruenisse: satis constat tum primum auri, argenti, ferri, cupri, cæterorumque metallorum fodinas repertas, vt harum rerum copia nulli cæterarum regionum cederent, cum antea nullam haberent. Regnum ipsum clarissimis deinde victoriis & amplificatum & defensum; domi constituta publica pax ac tranquillitas; correcti disciplinæ mores; instillata feris illis antea pectoribus pietas, & puræ castæq; Religionis sensus. Quæ deinde iis successibus aucta est, tot prodigiis ac miraculis comprobata, vt dicere cũ Richardo de S. Victore possimus: *Domine si error est (quod credimus) à te decepti sumus: ea enim in nobis tantis signis ac prodigiis confirmata sunt talibus, quæ non nisi per te fieri possunt.* Lib. 1. de Trin. cap. 2.

Itaq; ex illa Religionis institutione ac disciplina, quam præclara in omni genere atq; ordine hominum egregiæ sanctitatis ac virtutis exempla prodierunt? Numeramus inter Reges Olaos & Stenchillos insignes cultus CHRISTI propagatores: Anundos, Ingones, Canutos & Ericos pro virtute & Religione Martyrio coronatos. Inter Pontifices præter eos quos supra commemorauimus, Adaluardum & Stephanum, Sigfridum, Æschillum, Henricum, Ioannem, Thomã, Hemingum. Inter Virgines Catharinam, Mechtildem, Ingegerdem, quæ totas sese DEO deuouerunt, summamque sui corporis puritatem consecrarunt. E Viduis Gudam, Botildem, Margaretam, Ragnildem, Helenam, Christinam, Ingridem & maximum illud ac singularissimũ non modo Gothiæ Sueciæque, sed etiam Septentrionis totius ornamentum Brigittam, ex qua prodiit ordo non modò fœminarum, verumetiam virorum Religiosorum, qui floruerunt non domi solũ, sed etiam in Noruegia, Dania, Polonia, Germaniaq; omni ac Anglia, atq; adeò in Italia ipsa, quæ tuetur adhuc in multis vrbibus & quidem nobilissimis eius instituti monasteria.

Præclarè verò nobiscum etiamnum ageretur, si eam, quã à Maioribus accepimus Religionẽ, retinuissemus; quam cum nescio quo consilio corrigere ac reformare voluimus, omnẽ amisimus. Prodeãt enim nunc Nouatores Euangelici in Suecia, qui se solos Theodulos, solos synceros veri Dei in eius

templo adoratores, diuinæq; maiestatis alumnos esse dicunt, & proferant si quem vnum habent, quē toto hoc sæculo, quo istam reformationem moliuntur, efformarint, qui quidem cum illis nostris conferri possit fide, charitate, zelo religionis, doctrinæ vitæq; Sanctitate, miraculorum operatione fineq; beato. Nominent vel vnum quem Diua illa reformata Religio pium, eximiæq; sanctitatis procrearit, ex quo tempore è luto, vt Beza loquitur, fæcibusq; Papisticis emersit. Ostendāt aliquem Vlfonem de Vlfosa æmulum, qui amplas opes, Præfecturas, Coronas, totiusq; mundi fastum & apparatum abiecerit, vt sacco amictus, fune præcinctus, ac rerum humanarū curis expeditus Deo ex animo, summa cū vitæ sanctitate seruiret. Prodeat ex illis aliqua Mechtildis, quæ spretis nuptiis, proculcata mundi vanitate & corporis voluptatib. reiectis, Christi obsequio se consecrarit, & in piis ac religiosis virtutum exercitiis, totam ætatem contriuerit. Quid illud esse dicam, vt cum hæc recentissimè Reformata Religio tot clades hoc sęculo orbi intulerit, vt hac in parte quidem fęcundissima videri possit, ad virtutem ac sanctimoniam ita sterilis sit, vt nullum hactenus mortalem genuerit, qui aliquo in numero, hoc in genere possit censeri? An adhuc adolescentula est, necdum ad similes partus idonea? at sęculum iam vixit, & monstrorum vel Lerna ipsa, plus edidit: nisi forte sanctos quidem eagignat liberos, sed qui vt illa, sint prorsus ἀφανεῖς, vt nusquam possint apparere.

At certè, vel ipsi nouæ huius religionis Duces agnoscunt, ingenueq; fatentur, nec sanctos vllos, nec vestigium vllum sanctitatis in illorum secta reperiri. Ita enim Magnus ille Lutherus apertè ac sine ambagibus denunciat, nec doctrinæ videlicet, nec morum atq; vitæ, nec personarum in sua Ecclesia requirendam esse sanctitatem. *A nobis*, inquit, *qui negamus, sanctimonia & miracula, exigi non debent; à vobis, qui asseritis, debent.* Idem Tomo 2. & Tom. 4. *Credamus modò satis est: & quanto es improbior, tanto es Deo propinquior.* Et in Præfat. Postil. Ecclesiasticæ: *Nostrorum plerosque* ait, *Septiceps ille Diabolus inuasit, & deteriores effecit, quàm in Papatu fuerunt.* Et in Sermonibus Conuiuialibus: *Post reuelatū Euangelium* (hoc

Luth. de seruo Arbitrio contr. Erasmum.
Tom. 2. de ministru Eccles.
Tom. 4. fol. 319.
In Præf. Postil. Ecclesiast.
In Serm. Conu. fol. 623.

(hoc est Lutheranismũ) *virtus est otiosa, iustitia oppressa, Temperantia ligata, veritas à canibus dilacerata, Fides clausa, nequitia quotidiana, Deuotio pulsa, Hæresis relicta.* Et in Postilla super Dom. I. Aduent. *Mundus, inquit, quotidie fit deterior; sunt nunc homines magis vindictæ cupidi, magis auari, magis immodesti, ac indisciplinati, multoq; deteriores, quam fuerunt in Papatu.* Satis ne multa? Si omnia quę de moribus deprauatis, deque numero peruersorum hominum, quos Lutheranum peperit Euangelium Melanchton, Brentius, Musculus, Eberus, Shmidelinus, cęteriq; eius Sectę Proceres, queri solent, commemorare vellem, modum & finem excederet Epistola. *In Postil. Dom. I. Aduent.*

Quos ergo fructus produxit hoc Reformatum Lutheri Euangelium? Videamus. Summum illud Sanctissimumque Trinitatis mysterium antiquauit: CHRISTI diuinitati detraxit: Angelis insuper hominibusq; Sanctis in cœlestem beatitatem receptis debitum honorem ac reuerentiam eripuit: fidelibus vita functis auxilium; Ecclesiæ militanti complures sacræ scripturæ libros: omnia ferè Sacramenta: Traditiones vniuersas, sacerdotiũ, sacrificium, vota, stata ieiunia; Festos dies, peregrinationes ad sacra loca susceptas, Templa, Altaria, Reliquias, Imagines: vno verbo omnia bona opera & monumenta pietatis, ac denique leges omnes ad gubernandam Ecclesiam diuinitus institutas.

Quàm verò fuerit hoc Euangelium funestum toti Europæ, satis abundè testantur cædes, funera, clades, vastitatesq; vbiuis locorum subsecutæ. Testis est vna Succia (vt alia omittam Regna) in qua tres Archiepiscopi Vbsalenses; tres item Episcopi exilio vitam finierunt: tres càpite plexi; vnus carceris squalore consumptus. Complures alii Abbates, Pręlati, Religiosi, Sacerdotes, Nobiles Religionis causa, vel extremo supplicio affecti, vel in compedes & carceres coniecti, vt aut victas Sectæ Lutheranæ manus darent, aut tabe, laboribus, ac ærumnis consumerentur. *Gustaus Trolle. Ioan. Magnus. Olaus Magnus. Ioan. Brask. Lincop. Magnus Haraldi Scar. Magnus Sommat Stregn. Vincentius Scaren.*

Prouẽtuum Ecclesiasticorum pars potior Fisco illata, altera inter Nobiles ac Proceres distributa. Tredecim omnino millia Prædiorum Ecclesiasticorum vnius Arosiensis Parlamenti edicto erepta ac simul direpta fuere. Calices, vasa sacra *Matthias Stregn. Petrus Sunnanueder Arof. Otto Arosiensis.*

 aurea,

aurea & argentea, hierothecæ, Monſtrantiæ, Reliquiaria, totaque ſupellex Eccleſiaſtica Fiſco adiudicata. Campanę Maiores toto Regno exactæ, bellicis tormentis (quæ poſtea bello Danico pelagus abſorbuit) materiem præſtiterunt. Sæuitum etiam in mortuos, ſepulchra inaudito ſcelere conuulſa, detractis paſſim ſaxis & tabulis marmoreis ac Porphyreticis, vt ſpoliis mortuorum palatia exornarentur. Monaſteria omnia, vno Vaſtenenſi excepto, & Religioſorum Conuentus ſolo æquati. Mirabiles illi quidem Architecti, qui paucis menſibus, omnia ſeptingentorum annorum opera ac monumenta pietatis antiquæ deiecerunt.

Olim Reges Sueciæ Magnos imitati Conſtantinos ex Palatiis Baſilicas & Monaſteria conſtruxerunt: Reformata verò Religio vice verſa, è templis ac Monaſteriis Palatia, Arces, carceres erexit. Vpſaliæ templum Diuæ Virg. B. Petri, & Monaſterium Ord. Min. Academia item antiqua in Arcem conuerſa: Ædes Archiepiſcopi & Capituli in nouam Academiam. Stocholmiæ bona pars Parochialis Eccleſiæ S. Nicolai diruta & Arci adiuncta: Monaſterium S. Claræ & templũ S. Iacobi ſolo adæquatum, ne Arci ob vicinitatem obſtaret. Pari modo Aroſienſis, Calmarienſis, Vaſtenenſis, Stekeborgenſis, Grypsholmienſis, Oerabienſis, Cronabecenſis cæteræq; in Gothia ac Suecia Arces ex ruderibus & exuuiis Monaſticis, ac Sedibus Epiſcopalibus, ſeu de nouo erectæ ſunt, ſeu ornamenta ſua ſumpſerunt. Ridiculum illud erat, quod poſtquam Epiſcopi edicto Regio Arcibus ſuis exuti, prædiis, poſſeſſionibus, ſubditis omnibus & prouentibus Eccleſiaſticis ſpoliati fuiſſent, nihilominus eandem, quam olim Cancellariæ Romanæ Taxam pendebant, Palleum vel Confirmationem accepturi, Regi deinceps pendere coacti ſunt.

Violenta hæc Religionis obtruſæ mutatio, non illos tantum Ciuilium bellorum motus poſtmodum excitauit, Dalecarlis primum ac Veſtrogothis, ductore Thurone Ioannis, ſeſe nouitati Religionis opponentibus; deinde Oſtrogothis exercitu dicto Hunehæren; & ad extremum Smalandis duce Dacchio, qui motus ad quadrageſimum prope annum durarunt;

runt;

runt; verum etiam cęlitus inflictis plagis Regnum totum afflixit, inaudita priùs lue (sudorẽ Anglicum seu Suettesot appellatã) & fame tanta, vt qui siliquis & quisquiliis potiretur, felicem sese reputauerit. Alij enecti, alij syluas ac paludes ingressi more pecudum diu victitabant: omnes vno ore Lutheranæ perfidiæ pœnam manifestam proclamabant.

Rectè Isocrates Ethnicus, Religionis incolumitate Patrię salutem contineri dixit; quasi inde Etymon sumpsisset, quod animos & corda hominũ religet, & sacro quodam nodo constringat. Huic Religioni diuinus ille Plato primum in sua Republica locum tribuit: qui etiã eius rectoribus, primum hoc tradit præceptum, ne quidquam in Religione mutari aut innouari patiantur, quum certissimum sit, ex Religionis mutatione, Imperij quoq; sequi mutationem. *Macrob. Saturn. lib. 1. c. 6. Laot. lib. 4.*

Quid? An non omnes has Regno Seciæ impendentes calamitates longe ante diuinitùs edocta prædixit S. Brigitta illis verbis: *Arabo terrã istam in Iudicio & tribulatione, donec inhabitatores discant petere misericordiã.* Et alibi: *Veruntamen scias, quod vnum væ abiit, & alterũ veniet super ingratos Regni huius.* Item: *Regnum istud cũ peccato magno & diu impunito commixtum est, &c.* Et: *Propter malos Principes & adinuentiones ac grauamina eorum perduntur Regna, &c.* Item: *Dixi tibi prius, ego volo visitare super militiam Regni istius, in gladio & lancea & ira.* Et paulo post: *Ecce surgere volo, non parcam iuueni, nec seni, diuiti & pauperi, iusto & iniusto, sed, &c.* Item: *Notifico quod diuina iustitia, &c.* Hæc illa de Suecis, quibus an euenerint, quæ prædixit, vtinam maximo suo malo non experirentur. Certè, quam Græcis in Cypro constituta prædixit Imperii illorum ruinam seruitutemque: ac Crucigeris in Prussia cladem ac exterminium, postea ita vt erant prædicta, contigisse orbis agnoscit vniuersus. *Extrau. c. 77. Lib. 4. cap. 71. Lib. 5. Reu. 11. Extrau. c. 73. Ext. cap. 74. Extr. cap. 80.*

Cvm hæc igitur extent Maiorum nostrorum tropheą, planè Apostolica Christiana charitate parta, liceat mihi illis Salomonis vti verbis: *Laudemus viros gloriosos, parentes nostros in generatione sua: Dominantes in potestatibus, homines magna virtute & prudentia præditi, homines diuites in virtutibus, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis, viri misericordiæ, quorum pietates non defuerunt, cum quorum semine* (quod ego interpretor Sacram Regiam Maiestatem Vestram apud quam adhuc manet Catholicæ fidei, quasi *Eccles. 44. 3.*

de manu

de manu in manum traditæ possessio, Regnorumq; Sueciæ ac Gothiæ ius hæreditarium) *permanent bona: hæreditas sancta nepotes eorum*; nimirum soboles Serenissim. Maiestatis Vestræ. Nam Sancti: Olaus, Stenchillus, Guda, Anundus, Ericus, Helena, Brigitta & Catharina splendidissima Arctoi orbis lumina, quorũ vitas, certamina, agonesq; hoc opere complectimur, suum in Maiest. Vestra genus ac sanguinẽ agnoscunt. Et verò, Rex Augustissime, quos sanguine Maiores habet Maiest. V. hos præclarè quoq; moribus, vita, rebusq; gestis, non adumbrat, sed illustrat. Iustitia Olaum refert: dilatatione fidei templorumq; structura ac ornatu Ericum imitatur: liberalitate in locis piis erigendis ac fundandis, benignitateq; in Religiosis fouendis & promouendis Stenchillum, Gudam, Helenam: in aduersis fortiter ferendis Anundum: sacrorum locorum visitatione ac veneratione Brigittam & Catharinam.

Sed longius me abreptum video, quàm Epistolaris breuitas permittat. Reprimo igitur me finemq; facio, id mihi de pio Maiestatis Vestræ zelo omninò pollicitus talium Regum ac Principum res fortiter, sanctè pieq; gestas, eidem Maiestati Vestræ tanquam fortissimo piissimoq; Regi, proprio ipsorum hæredi, ac legitimo Successori, non tantum gratas fore; verùm etiam laborem hunc meum Regii fauoris ac nominis sui Patrocinio suffultum, Conciuibus aliquando meis, totiq; Patriæ, nunc pænè euersæ, non solum auersæ, fructuosum ac salutarem. Quod dum vehementer exopto; æternæ Maiestatis Numen oro votisq; nuncupatis obsecro, vt Sacram Regiam Maiestatem Vestram ad Regnorum suorum incolumitatem ac salutem, omni bonorum genere ac fælicitate cumulatam, quàm diutissimè conseruet. Varsauiæ feriis Paschalibus. Anno Salutis M. DC. XXII.

Sacræ ac Serenissimæ R. M. V.

Humillimus ac fidelissimus
seruus & subditus

Ioannes Vastouius.

ODE

ODE
AD PRINCIPES DIVOS SVECIÆ, GOTHIÆQVE Tutelares.

SIc fastuosus non sat habet Satan
Ambisse in Astris ius Aquilonium,
Altissimo cum perduellis
Par auet imperiis haberi;
Ni fulminantis vindice dextera
Simul beatis pulsus ab arcibus,
Honoris eiusdem sititor,
Regna Aquilonis hic insideret.
Vix SCANDIANOS *hic planus incolas*
Ortos Magogo, secula fluerat
Per pauca, Numen ter verendum
Legitimis coluisse sacris,
Sese colendum subdolus obiicit
Genti sequaci; proque Trinomine
Ac Numine vno, tres Deastros
Mentorea locat arte fictos.
Stellante THORVS *sceptriger in throno*
Vt fulminator, præses vt ætheris;
Belli hinc, opumque vis OTHINVS;
Arbitra pacis at inde FRIGGA.
Hinc pullularat stirps Lemurum minor,
Septentrioni culta miserrimo,
Caligine hac mersi iacebant
Secla tot, heû, Suecones, Gothique,
Donec misellos is miseratus est,
Quem fudit orbi Virgo puerpera
Illuminando, lumen Arctos
Cæsareis faculis adepta.
Octona cum iam secula, Virginis
A partu abissent, & propè lustra tot,
Papæ Leonis nutu, habenas
Imperii Carolus regebat.

Hic magnus

Hic magnus armis cuncta domantibus,
Ardore maior Numinis, extimas
In nationes Christianæ
Protulit imperium latriæ.
Hic pertinaci Marte Visurgis, &
Albis ferores subdidit accolas,
Soteris ad Christique cultum
Saxoniæ populos adegit.
Ingenti opum vi, victor, idonea
Tot templa struxit, non sine dotibus,
Et latifundiis peramplis,
Non sine Apostolicis magistris.
Quales Magistros! moribus integros,
Arte expolitos: vita Monastica
(Heû insciis inuisa vita)
Expediit fidei satores.
Hi Christianam, teste BREMA, *fidem*
Primi inuehebant in Sueonum plagas
ANSGARIVS, *Primas Bremensis,*
Ac HERIBERIVS *in his choragi.*
Hos subsecuti, quos notat hic liber
VASTOVIANVS, *cui sacra veritas*
Debere se multum professa,
Luce per hunc sibi restitutâ.
Hic nosce veros SVECIA, SVECIA
Pro te beandâ, non timidos mori
Apostolos, Regesque mira
Relligione sub astra vectos.
Duxti sub illis aurea secula;
Dum templa, noctes atque dies piis
Audita laudes personare,
Sacraque debita Conditori.
Decor metalli cur tibi fului abit
In fæculentam, Patria, scoriam?
Lacerna fertur pro crocota?
Pro simila tibi limus estur!
Gaudens Borea sede, tibi nouâ
Hanc alleosin Lucifer arte dat,
Euangelismi corrigendi
Exmonachi studio Lutheri.

Desertor

Desertor hic te collutulauerat,
Præ se nitorem fert vt Olor ium:
E Saxonum templis salutem
Nacta prius, capis inde pestem.
Tonantis haud est ira nocentior
Hac peste; mentes inficit hæresis
Et conficit; mel veritatis
Cum Stygia lue falsitatis.
Pestem nefandam discute, discute
Diuina virtus, Cælituum fauor:
Bacchata iam sat tot per annos,
Cedat abacta, sacris auitis.
Tuque ante cunctos nomine Cælites
Thronoque præstans, Virgo parens Dei,
Uni tuo Nato secunda,
Affer opem Patriæ iacenti.
Nati iuuaras ad Sacra SVECIAM
Olim, Diali lumina flamini
Dum reddis orbo; lumen ille
Christisonæ fidei propagat.
Gentem hanc eandem nunc releues ope;
Cæcutientem, mitis, ab integro
Veram fidem fac intueri
Hæreseôn tenebris remotis.
Te præpotentem non facimus Deam,
Calumniatur nos vt Inertia;
Nostram sed ad Natum, sequestrem,
Qui tibi nil renuit petenti.
Quæ plena quondam Numine, plurima
Arcana Diuûm, iussa, notauerat,
Diuâ BRIGITTA *teste, regnis*
Pollicita es Gothicis fauorem.
Nunc, nunc fauorem poscimus, exhibe:
Arata sat iam terra miserrima,
Bellisque, cæterisque flagris,
Relligionis & orthodoxæ.
(Quæ cæterorum plaga grauissima)
Proscriptione, heû, in tot decateridas,
Hanc ô reduc; assuesce Diua
In pia vota iterum vocari.

Castæ Parenti subsidiariis
Adeste votis, ætherium Patrem
Pari fatigantes precatu,
Svecia quotquot habet, Patroni.
Hos inter ingens Agnifer emines
Christi antecessor, dignus huic viam
Qui voce contentâ parares,
Et caput ambrosium rigares.
Diue, huic Ioannes, te Prodromo suo
Matrem secundum, nemo probatior
Acceptiorue prædicatus
Ipsius elogio Magistri.
Fac, delicatis vita Palatiis
Insueta, cultus & rigor asperi
Laudatus in te, cultaque abs te
Fac Metanæa reuisat Arcton.
Euangelismus, carneus est nouus,
Euangelistes Quintus, vti datus
Abdomini, deforme ventris
Mancipium, Venerisque Mystes.
Euangelismus, lubricus est nouus;
Palustris instar nutat arundinis:
Tot dogmatum flabris rotatur.
Differ arundineos popastros.
Inter Patronos tu quoque Principes
Adlectus olim Cratiger incluti
Cognominis, flammæque victrix
Cui sua tempora Laurus ornat.
Vrbs Osca quo se iactat, Aragonum
Præstanti alumno; Martyra Martyres
Quem purpuratum purpurati O-
Rethivs & Patientia edunt.
Tu Xixto adhæres Pontificum Patri
Symmysta: gazam distribuis sacram
Scienter: irrisi tyranni
Victor ab igne volas in astra.
Hinc tutor vrbis Romuleæ preces,
Et patriæ audis tutor Iberiæ.
Error manus tibi supremas
Tendere dedocuit Boreos.

Narreris

Narreris vltor cum tamen haud semel,
SVECANA quando tibi sacrum
Profanauere lucum.
Heû iacet illa diu incelebris.
Impunè tun' feres verbera sontibus
Inflicta: sed non verbera sentiunt.
Diuini amoris, quo flagrabas,
Ignibus hoc abole veternum.
Regum, IOANNÊS, gemma quod orsus est,
Auita Suecis sacra reponere,
Templis, & aris innouatis,
Luce tibique sacrâ reducta
Fauore Diuûm Filius ad sacra
Tuenda natus, ducat ad exitum,
REGE vt SIGISMVNDO
Aurea secla triumphet Arctos.

Laurentius Boierus S. I.

Patria quas strauit (tellus ingrata!) Penatum
Aras, ignoto tu strue Mysta Solo.
Alter es Æneas, humeris si traxeris ipsam
E flammis Patriam, traxit vt ille Patrem.

Petrus Grabenius I. V. D.
Secretarius Regius.

IN VITEM AQVILONIAM

REVERENDI DOMINI JOANNIS VASTOVII GOTHI PROTON. APOST. CANONICI VARMIENSIS, Bibliothecarij, & Sacellani Regij.

PANDE domos Superum, magnique theatra Tonantis,
Et Diuûm sanctas aperi noua Gloria sedes,
Quà numerosa suis cœlorum præmia signis
Plena coronatis implent conuexa trophæis.
An tecum æthereas vidit VASTOVIVS arces,
Vt cœli dispenset opes? patriæque reducat
Quod cœlo dederat? quàm læto sidera fastu
Jam nostro gaudent sese ostentare stupori!
Et consanguineo commercia reddere mundo!
Quò feror? & magni præcurrens gaudia voti
Natalis moueo tacitè miracula terræ,
Prisca quibus sanctos attollit SVECIA vultus?
O quantos cerno terræ, pelagique labores!
Primus inexpertum velis audacibus æquor
Inuasit Graiæ molitor puppis Iason,
Immensique volans per inhospita regna profundi
Calcauit magnis animosa pericula fatis.
Mox fama, & similes circumdata fabula plausus
Monstrosam nauem mendacibus intulit astris.
Fama redi, lætoque moras euecta volatu
Aligeras attolle vias; tibi cuncta sereni
Penna vacet; tibi totus eat cum nubibus æther;
Omnes pande sinus, & mille per aëra tractus,
Mille sonos: ficti sed nulla licentia monstri
Audeat innocuæ partem deprendere vocis.
Qualem te superis fas est placuisse per auras,
Perque domos ventorum altè, per nubila vade.
Nunc primum insolitis transmissum flatibus æquor,
Arctoique vehes discrimen nobile Ponti,
Nunc demum veras tolles ad sidera naues.
Secula grandæuis alibi successibus octo,
Jam CHRISTO multus circum numerauerat orbis,
Cum septa Oceano, vallataque frigore toto
Circumfusæ hyemis feritas, geminaque furebat
Nocte Superstitio, quà fesso SVECIA cœlo

Octauo à Christi natiuitate seculo primum religio Christiana Sueciam intrauit.

Aspicit

Aſpicit extremo luctantes orbe Triones,
S V E C I A inexplicitis animos oppreſſa tenebris,
Luce, Deoque procul, ſæua ſub nube malorum.
Necdum illic nomen, portumque, aut littus habebat
Relligio, nec fama rudes tentauerat aures.

Primus intuli Herbertus.

Primus in ignotas ventis felicibus oras
Attonitum tranſuectus iter, diraque rigentes
Tempeſtate vias, peioreſque æquore fluctus
H E R B E R T V S Stygiæ impauidum caput obtulit iræ,
Infeſtoſque Deos, & fulmina prima ſubiuit.
Ire per hæc rigidæ iuuat in confinia noctis,
Oppoſitamque hyemem: non mollius aſper adiri
Dignus erat Boreas, gelidi pars vltima mundi.
Quo properas H E R B E R T E, crucem ſignatus apertam,
Legibus inuiſam patriis, ſtudiiſque Deorum?
Heu quantum priſca ſæuas in origine gentes
Atque ſuo duram deprendes ſanguine ſtirpem!
Vnde graui quondam tempeſtas bellica mole
Effudit Gothico torrentes fulmine clades,
Quoſque tulit longæ ſtrages cognomine barbæ.
Aſpice, quanta parat ſuſpectis ſurgere terris
Irarum nubes? quanta ſe mole minatur
Par operi rabies! pariter terraque, marique,
Aut quacunque venis, maria inuia & inuia tellus
Obiicient gelido quicquid Natura ſub axe
Hyberno armauit cœlo; quod deſuper Vrſa
Sparſura in terras, vicino comminus angui
Per nubes aufert, & nullis eluit vndis;
Luna quod algentes immenſa nocte per vmbras
Aut raptum Boreas ſæuis animauit ab aſtris;
Iam ſidus glaciale Poli, plenoque Bootes
Axe vomens nymbos, & Ponti vaſta gelati
Surget hyems, caniſque diem violata pruinis
Æquæuo cum monte niues, & clade paratos
Terrarum, cælique metu ſeruire furores,
Cumque ſuis totum terroribus eriget annum.
Forſan, & optato cum ſtringes litora viſu,
Feſſaque vicina langueſcent carbaſa terra,
Iam de rupe S V E O non fruſtra conſcius alta,
Quid peregrina ferant ſubeuntis vela carinæ,
Cantatas rapiet patrijs è cautibus auras,

Adhuc ars Magica paſſim vigebat in Suecia.

Carminibusque suo diuellet ab æthere ventos,
Miscebitque diem tenebris, noctemque procellis,
Et iam damnatos cœlum turbare fragores
Iniiciet mundo, sæuumque tumentibus vndis.
Et pelago terras simul auferet, æthera terris.
Sed pacem facili præstent mortalia vultu;
An credis cessare Deos? perituraque monstra?
Et iurata suas defendere Numina terras?
Attonitos video procul exululare furores
Templa simul, montesque iugis immane gementes,
Et nemora, & siluas, & amica silentia lucos
Quærere venturis æquales cladibus iras.

Vbsala Deorum & Regum in Suecia sedes.

Sæuior ante alias prisci caput VBSALA ritus,
Prisca Deum sedes, Boreæ quæ maxima regnis
Religione loci, fanoque superba vetusto
Vota regit SVEONVM, Regumq; meretur honores,
Et patrios cultus primæuis approbat aris.
Iamque palam trepidos ad publica fata tumultus
In sua templa vocat, maiestatemque Deorum
Vndique supremæ vocat in discrimina pugnæ.
Sed CHRISTO melior fiducia nixa magistro
Æqua suis gaudet deprensa pericula cœptis,
Perque simul populos, terrasque Vrbesque frequentes,
Perque nouos vadens immani mole timores,

Primi religionis Christianæ in Suecia conditores, externi fuere.

Poppo Episcopus Slesuicensis candens ferrum nudâ manu gestat, deinde caratã vestem, subiecto igne, induit.

S. Angarius sortis iactu cõtra Idola victor, templum Birce in Suecia extruxit.

Quidam Idolorum sacerdos inter sacra excæcatus, Christo credens visu restituitur.

Intrat sponte minas, & apertas occupat iras.
Nec mora: iam toruæ passim inclementia terræ,
Et tanto sese stupor admiratur in hoste;
Iam duras sermo nondum benè cognitus aures,
Et placido rigidas expugnat robore mentes.
Succedunt dictis plusquam mortalia facta,
Et patriis maiora Diis, æuoque priore.
Hic vltro manibus ferratos induit ignes,
Et nudos picceis circumdatus æstibus artus,
Illæso monstrat luctantes corpore flammas
Ille Diis sortem trifido poscentibus ore·
Vicit sorte Deos, atque ora loquacia clausit.
Quid memorem raptæ dispendia nubila lucis,
Cum stata sacra Diis prisco de more sacerdos,
Et iussos aris supplex mactaret honores?
Hoc solum potuere Dii, deceptaque vota.
Non illum potuere Dii, non publica vota

Exuere

Exuere heu tenebris,& primæ reddere luci:
Aſt vbi monſtrato permiſit pectora CHRISTO,
Continuò nox atra fugit,fugiuntque tenebræ.
Non timuit poſthac duros animare labores
Religio,læuæ pulſa caligine noctis.
Crebra licet refugæ nutet conſtantia plebis,
Aut vulgi furiis impar fiducia Regum
Ambiguos animos alternaque pectora verſet,
Inconcuſſa fides magnis ſucceſſibus ibat,
Donec cuncta trahens Arctoi robora mundi
Deceptum totis erroribus exuit æuum.

Reges Sueciæ quidam erga religionẽ ambigui: quidam plebem aduerſam habuere.

Sola diu fædos defenderat VBSALA cultus,
Regia cum timide CHRISTVM confeſſa poteſtas
Ancipites induta moras, pugnaret vtrinque
In fido diuiſa metu, nè fracta Deorum
Publica maieſtas,celebrisq; iniuria ſedis,
Cruda laborantis raperent momenta ſalutis.
Aurato ſtabant illic tria numina templo
Auguſtâ veterum formidine culta parentum.
Iupiter in medio; Boreæ vocat incola THORVM:
Dexter OTHINVS opes, & belli fata miniſtrat:
Læuum FRIGGA latus,placidis Dea vultibus ambit.
Præcipuus cultu THORVS,menſemque diemque,
Et Gothicos proprio ſignauit nomine faſtos.
Illum ſumma penes Diuumque, hominumque poteſtas:
Gemmis excelſum capitis decus ardet, & auro;
Auro ſceptra micant magnæ geſtamina dextræ.
Biſſex argenti perfuſæ lumine ſtellę,
Signiferum totidem ſimulabant ignibus orbem,
Hinc atque hinc nubes, ruptaque tonitrua nube,
Fulguraque,& trifidas iaculantia fulmina flammas,
Et nebulę,nymbiſque furens comitantibus imber,
Et ventus pelagi metus,indutuſque procellam
Turbo,nec immenſo tempeſtas laſſa profundo,
Hyberneque niues,& torto verbere grando,
Et glacies immota gelu,gelideque pruina
Noctis,& alternos rapientia frigora menſes.
Frigore canet Hyems, Ver floribus,ignibus Æſtas,
Fructibus Autumnus,Naturaque tota miniſtrat.
Plurima maieſtas,& nobilis vndique terror
Conſpicua THORVM populis oſtendit ab arce.

Stenkillus Rex Sueciæ S. Adaluardum à deſtructione Idolorum auertit maioris damni periculo.
Vbſalia tria Idola regni maxima.
Thorus Deorũ præcipuus olim Sueonibus, à quo Thori dies, idem qui Iouis & Thori menſis, qui Februarius.
Thori deſcriptio.

Suerinus IV. Vbsalensis Episcopus, primũ idola templis ibi euertit.

Jam quartam, CHRISTI titulis inſcripta, tiaram
Induerat ſenſim luctantibus VBSALA ſacris,
VBSALA lenta Deo, ſtudiiſque immixta Deorum.
Abſoluit fædi SVERINVS damna pudoris,
Purgauitque locum, diræque opprobria ſedis.
Namque pio validam firmatus robore mentem
Intrans templa Deûm, turbas incerta frementes
Euentum ſpectare iubet, magnoque futuri
Succeſſus, geminæque fidem componere ſortis,
Quæ CHRISTVM, propriaque Deos committeret æde.
Mox THORVM aggreditur minitans, atque increpat altè:
Thore nefas Erebi, Stygiis damnata tenebris,
Nomina quid Superis miſces, tituliſque negatis?
Hocnè ſeder, templis alibi depulſus, & aris,
Vt Gothicis tandem Cocythius exul in oris
Diuinos per regna palam fureris honores?
Quod ſupereſt, verace Deum ſi numine præſtas,
Sique potes, remane Deus, & tua templa tenebis.
Sin vanâ tantum populos ſub imagine ludis,
Per noſtri nomen, per vires impero CHRISTI,
Hic rue, & inuitâ iamnunc teſtare ruinâ
Cedere te CHRISTO; pænaſque exolue ſupremas.
Dixerat: ingenti cum fracta repentè fragore
Falſa Dei moles tremebundâ concidit æde,
Vicinoſque Deos, & amicas obruit aras.
Et cecidere ſimul vis regia, fulgura, nymbi,
Fulminaque, & flammæ, tempeſtatumque tumultus,
Et formidatis terror quæſitus ab aſtris.
Felix VASTOVI, lætæ commercia lucis
Secula cui debent, longis erepta tenebris.
Tu iam per magnæ properans veſtigia laudis
Vndique quæſitos terris natalibus infers
Inſignes pietate viros, Fideique ſatores,
Quam coluit ſolam votis communibus orbis,
Quam ſolam impugnat ſtudiis communibus error.

Prima Euangelii propagatio in Sueciam ex Gallia & Germania, deinde Anglia.

Agnoſco proceres: proprium tibi Gallia lumen,
Et numeroſa ſuum mittit Germania robur,
Et quid tu vaſti non donas inſula Ponti?
Quid moror? externæ mox haud virtutis egena,
Nec iam longinquas implorat SVECIA terras;
Sed par ipſa ſibi, medio non inuida cœlo,

Indige-

Indigenis terras & cœlum laudibus implet,
Annatumque gelu, sterilesque excussa pruinas,
Iam natiua suis accendit sidera regnis.
Vade age, per totos famâ præeunte Triones,
Ignotasque diu glaciali redde sub Arcto
VASTOVI stellas: non paruæ nomina famæ
Implebunt fastos: gaudent iam sceptra venire;
Et sæuos exuta metus suprema potestas,
Regnorum, ferrique decus crudele secures,
Et rigidos CHRISTO gestit submittere fasces,
Inque humiles vltrò descendit purpura cultus,
Purpura natiuum iam sanguine pulcrior ostrum,
Et superis posthac Regum preciosa cruore: *Inter Sueciæ Reges fuêre etiam Martyres.*
Nec facilis cessisse vitis pars altera laudum
Fœmina: stat dubiâ iamdudum gloria palmâ.
Sed nunc Musa sinus non nostro contrahe Ponto.
Huic tua vota magis, placidosque precantia cursus
Omnia trade rati, pleno cui carbasa vento
Implet, & insertis animat VASTOVIUS astris,
Quæque diu cœlo volat insinuata secundo,
Tutelamque suam magno cum Numine gestat.

Ita
O VOTIS JESU ANNUAS. *Per Anagramma Autoris huius operis.*

Gregorius Borastus I.V.D.
Secretarius Regius.

SYLLA-

SYLLABVS CHRONICVS
SANCTORVM HOC OPERE
COMPLEXORVM.

	Anno	Menſe	Die
HEREBERTVS Epiſcopus Confeſs.	813	——	——
Anſgarius Archiepiſcopus Brem. C.	828	Feb.	3.
Vithmarus Epiſcopus C.	828	——	——
Simon Epiſcopus Mart.	8,8	——	——
Nithardus Presb. M.	840	——	——
Herigarius C.	840	——	——
Hartgarius Eremita C.	846	——	——
Gosbertus Epiſcopus M.	876	——	——
Rembertus Archiepiſcopus Brem. C.	888	Feb.	4.
Vnno Archiepiſcopus Brem. C.	919	Sept.	15.
Lifdagus Epiſcopus M.	946	——	——
Odincarus ſenior Epiſcopus. C.	960	——	——
Poppo Epiſcopus. C.	995	——	——
Odincarus iunior Epiſcopus. C.	1000	——	——
Gothebaldus Epiſcopus. C.	1000	——	——
Folquardus Epiſcopus. C.	1010	——	——
Gunichildus Epiſcopus. C.	1025	——	——
Bernhardus Epiſcopus. C.	1025	——	——
Turgothus Epiſcopus. C.	1027	——	——
Vlfridus Epiſcopus. M.	1028		
Olaus Rex Norueg. M.	1028	Iulij	29.
Godeſchalcus Epiſcopus. C.	1030	——	——
Sigfridus Epiſcopus Vexion, C.	1030	Febr.	15.
Olaus II. Rex Sue. C.	1036	——	——
Adaluardus ſenior Epiſcopus. C.	1054	——	——
Henricus Peregrinus M.	1055	——	——
Ioannes Epiſcopus. C.	1055.	——	——
Guda Regina Vid.	1055	——	——
Adaluardus iunior Epiſcopus. M.	1056	——	——
Simon Epiſcopus. M.	1056	——	——
Stenchillus Rex Sue. C.	1060	——	——
Ingo III. Rex Sue. M.	1063	——	——
Æſchillus Epiſcopus. M.	1063	Iunij	12.
Dauid Abbas. C.	1063	Iulij	15.
Gniphus. C.	1066	——	——
Amundus Rex Sue. C.	1070	——	——
Egino Epiſcopus. C.	1072	——	——
Canutus Rex Daniæ. M.	1087	Iulij	10.
Botuidus. M.	1100	Iulij	28.
Torſtenus M.	1100	——	——
Botildis Regina Dan.	1102	——	——
Ingo IV. Rex Sue. C.	1118	——	——
Ragnildis Regina Sue.	1120	——	——
Margareta Regina Dan.	1130	——	——
Henricus Epiſcopus Aboen. M.	1150	Ianu.	19.
Ericus Rex Sue. M.	1160	May.	18.

Chriſtina

	Anno	Menſe	Die
Chriſtina Regina Sue.	1160	—	—
Helena de Schedvvi M.	1160	Iulij	31.
Ioannes I. Archiepiſcopus Vpſ. M.	1188	Iulij	1.
Carolus Folchungus. M.	1220	—	—
Carolus Epiſcopus Lincop. M.	1220	—	—
Hollingerus	1248	—	—
Thomas Epiſcopus Aboen. M.	1248	—	—
Colo. II. Epiſcopus Lincop. C.	1252	—	—
Ingridis Vid.	1283	—	—
Mechtildis Virgo.	1283	—	—
Ioannes II. Archiepiſcopus Vpſ. C.	1291	Sept.	8.
Petrus Epiſcopus Aroſien. C.	1296	—	—
Brynolphus Epiſcopus Scaren. C.	1317	Feb.	6.
Gerechinus Ord. Ciſt. C.	1345	—	—
Algothus. C.	1345	—	—
Iſrael. C.	1348	—	—
Matthias C.	1350	—	—
Petrus Archiepiſcopus Vpſ. C.	1366	Octo.	18.
Hemingus Epiſcopus Aboen. C.	1367	Iunij	21.
Brigitta Vid.	1371	Iulij	23.
Catharina Vir. & Vid.	1381	Mart.	22.
Carolus C.	1372	Mart.	12.
Carolus	1398	Sept.	17.
Brigitta Vir.	1398	Sept.	17.
Birgerus	1390	Aug.	26.
Benedictus	—	—	—
Gudmarus	—	—	—
Martha	—	—	—
Ingeburgis Vir.	—	—	—
Cecilia Vir.	1399	Mart.	12.
Petrus Olai Ord. Ciſt. C	1378	—	—
Nicolaus Epiſcopus Linc. C.	1391	—	—
Petrus Ord. S. Brig. C.	1400	—	—
Magnus Ord. S. Brig. C.	1400	—	—
Catharina Vir. Ord. S. Brig.	1414	Nou.	20.
Ioannes III. Archiepiſcopus Vpſ. C.	1422	Feb.	13.
Vlpho Ord. S. Brig. C.	1433	Dec.	22.
Stephanus	1510	—	—
Sapiens iuuenis	1525.	—	—

APPRO-

APPROBATIO RECTORIS ACADEMIÆ CRACOVIEN.



Item Aquiloniam ex Annalibus Sueticis studio & opera Adm. Reu. Domini Ioannis Vastouij Gothi Protonotarij Apostolici Canonici Varmiensis, Serenissimo Sigismundo III. Poloniæ & Sueciæ Regi à Bibliotheca & Sacello in vnum corpus non minus doctè, quàm fideliter coagmentatam, ac ex probatis autoribus qui altius Gothicæ historiæ viam strauerunt compendioso filo deductam, ad præclaram Beatorum qui in Suetico & Gothico Regno religione, pietate & Catholicæ fidei integritate eminebant, perennibusque fastis splendentem Sueciam decorabant, memoriam vtiliter typis excudi posse censeo. Cracouiæ è Collegio DD. Iureconsultorum tertia Iunij 1619.

M. Iacobus Ianiolo I.V.D. & Profess. Can. Sandecen. Proton. Apost. Academiæ Cracou. Procancellarius & Generalis Rector m. p.

HER-

HERBERTVS
EPISCOPVS FLORVIT
ANNO CHRISTI 813.

Leone Papa III.
Carolo Magno Imperatore.
Biorno Rege Suecorum Gothorumque.



Nno ab incarnatione Verbi octingentesimo tertio decimo, diuina disponente misericordia apertum est fidei ostium per amplissima Aquilonis Regna, ignisque iuxta Ezechielis vaticinium, in Magog immissus corda habitantium in insulis penetrans, eadem flammis verbi diuini succendit; atque adeo factum nomen Domini laudabile, à solis ortu & occasu, ab Aquilone & mari. Enimvero laudatissimus atque inflammato fidei proferendæ studio in primis ardens Imperator Carolus Magnus, vir certe Apostolico spiritu afflatus, Saxonia prospere ditioni suæ subiecta, ad augendam propagandamque Christianam fidem omnes ingenii atque imperii sui vires conuertens, vt voti facilius compos fieret, amicitiæ primum fœdere ac muneribus, vicinorum Aquilonarium Regum animos sibi deuinciendos putauit: deinde missis ac susceptis vltro citroq; legationibus, æque in admittenda promptos illos luce Euangelica animaduertit, vt sese in inferenda exhibuit. Sedit eo tempore ad Sueciæ Gothiæque Regnorum gubernacula, Biornus Rex, in ordine centesimus, qui diu in votis habitã cum supradicto Carolo potentissimo Monarcha ineundæ societatis religionisque Christianæ cognoscendę occasionem nactus, nulla omnino mora interposita, eiusdem religionis peritissimos, pietateque clarissimos viros mitti ad se expetiit. Nec fuit in obtinendo vlla difficultas, inter alios datus est ei moribus suauissimus, animarumque quas humani generis assertor preciosissimo suo redemit sanguine, lucrandarum studio flagrantissimus Herbertus Episcopus Belga natione. Hic primus cum sociis Ostrogothiam penetrauit, & in diuersis eius locis falsorum numinum cultum impugnans doctrinæ ab vnigena Dei traditæ sparsit semina, primaque Ecclesiæ Lincopen. fundamenta iecit. Verum quia nondum tunc plenitudo temporis, à Patre cælesti de Gothis & Sueonibus ad vndecimã vsque horam otio defluxuris, præuisa aduenerat, inimicus homo in nouam culturam irrepsit, tenerumq; semen ne in fructum erumperet con-

Ezechiel. 39.

Psal. 112. Psal. 106.

Carolus Magnus Christianæ Catholicæ fidei in deuicta Saxonia & sibi fœderata septentrione propagator.

Herbertus I. Gothorum Apostol. & Eccl. Lincopensis fundator.

Gothi ad Idololatriam paucis demptis relabuntur.

culcauit. Consumptis enim verbi Dei præconibus, partim fatorum vi, partim persecutionum clade, in Gothis idololatria recruduit, paucis quos Deus præsciuit & prædestinauit in susceptâ fide ac religione perseuerantibus.

Herbertum primum omnium apud Ostrogothos verbum Dei prædicasse, asserit Chronicon Episcoporum Lincopensium centum ab hinc retro annis Sudercopiæ impressum, ab Olao Laurentii, & nonnulli alii rerum Sueticarum scriptores Ioan. Mag. Historia Gothica lib. 17. cap. 1. & in sua Metropoli lib. 1. De eius præterea laboribus, progressu, sedis in Pontificatu diuturnitate & mortis genere nihil in his authoribus comperi. Probabili tamen coniectura ductus, hunc Herbertum fuisse puto, qui postea primus Mindensis in Germania factus fuit Episcopus, teste Baronio Tomo 9. An. Dom. 785. Is enim Zelo prouehendæ religionis Christianæ stimulatus, Leonis Papæ & Caroli Magni temporibus Septentrionales Prouincias adiisse perhibetur.

S. ANS-

S. ANSGARIVS ARCHIEPISCOPVS BREMEN. AQVILONARIVM REGNORVM APOSTOLVS,

floruit Anno Christi 828.

GREGORIO IV. Pontif.
LVDOVICO I. Imperator.
BIORNO & OLAO R.R.



IVI Ansgarii religiosa sanctitas Diuina largiente gratia ab ineunte crescere cœpit ætate, & per singula ætatum momenta sua multiplicauit augmẽta. Nam pueritiæ necdum egressus annos, extaticarum particeps fieri meruit visionum, quibus quidem de statu totius cœlestis Curiæ, de pœnis Purgatorii, aliisq; id genus erudiebatur; ac in tantum proficiebat, vt fallaces vitæ caducæ illecebras spernere, veras porro æui perennis delicias affectare in animum induxerit. Ergo rerum humanarũ curis nuncio remisso sese apud Corbeiam Ordinis S. Benedicti addixit disciplinæ, vbi iugi orationi, vigiliis & abstinentiæ deditus, diuino continenter vacabat seruitio. Cæterum nõ multo post Christianissimo Imperatore Carolo Magno ad beatam translato patriam, filius eius Ludouicus Pius, optimo parenti, vt in hæreditate Imperii, ita in propagandi Christianismi solicitudine successit. Suscepta igitur cura Regni, primum studium in promouenda sacra religione adhibuit, cõuocato Aquisgranum concilio: vbi inter alia multa de dilatando Christi cultu, deq; Gothis Sueonibusque conuertendis constituta fuêre. Deinde translato ex Franciæ Corbeia propè Sommam (flumen ita dictum) non longè ab Vrbe Ambianensi, numeroso Monachorum Collegio, ad ripam Visurgis Saxoniæ, in Paderbonen. Diœcesi, boni profectus optima iecit fundamenta. Erat in hac Ascetarum colonia Diuus Ansgarius, primo tunc adolescentiæ flore vernans, in quo & sociis eius, diuinus adeò amor feruebat, vt inter prædicandum Dei Euangelium Aquilonaribus gentibus (in quibus adhuc idololatrici grassabantur errores) non modo vires omnes insumere, verum etiam vitam & sanguinem profundere magnopere cuperent; quod eorum votum à præpotenti Deo qui corda Regum in manibus habet, ad effectum optatum est perductum. Nam à Biorno Sueccorum Gothorumq; Rege Legati ad Ludouicum missi, inter alia legationis suæ mandata prædicatores idoneos postularunt: multos quippe in gente illa reperiri qui Christianæ religionis desiderio tenerentur: Regis item ad hoc propensam voluntatem referebant. Et verò circumspexit Imperator quem tanto parem operi, lucrandis videlicet Christo anima-

S. Ansgarius puer cœlesti visione eruditur.

Monasticum institutum suscipit.

Ludouici Pij Imper. Zelus Religionis.

bus expediret. Jam tum multis compertum erat Beati Patris Ansgarij Corbeiæ Monachi, & inter alios viri doctissimi feruens pro Christo desiderium, & laudabile in Dania paulò ântè sub Haraldo Rege experimentum: sed interpellare eum super huiusmodi negotio nemo præsumpsit. Terribile enim videbatur tantæ barbariei sese committere, & gentem idolorum cultui assuetam, noua prædicatione adoriri.

S. Ansgarius ad gentium conuersionem cœlesti oraculo monitus se alacriter offert.

Ita cunctis mussitantibus, Ansgarius quodam tempore cum deuotioni vacaret impensius, in extasim raptus, immensi luminis claritatem vidit, vocemq; audiuit dicentem: *Vade & annuncia gentibus verbum Dei.* Nec mora, ad se reuersus, obuium se ferebat quærentibus prædicatorem: Ecce inquit ego, mittite me.

S. Ansgarii coapostoli.

Addebant se sancto Patri socios Gislemarus & Vithmarus, legationis pro Christo suscipiendæ percupidi & ipsi. Profecti sunt igitur cum Legatis Regis Biorni, & læti peruenere in Daniam: vbi relicto Gislemaro, S. Ansgarius cum Vithmaro in Sueoniam tranſmisit, perbenignè vterque à Rege

Birca Sueonem Regia vetustissima.

Bircæ quæ tunc Regni fuit Metropolis susceptus, inibi licentia prædicandi obtenta, secundo successu, cœpto insistebant operi, multiplicante Christo semina bonarum frugum, cum intra biennium plurimos ac præcipue Regem ipsum eiusque Consiliarium Herigarium Bircæ Præfectum lucrifecissent.

Biornus Rex Sueonũ Christo adiungitur cũ Herigario.

Biennio elapso noui Corbeiam Apostoli repetunt, postquam duorum Regnorum frequentes populos Orthodoxa fide imbuissent. Et ecce (ô mira Omnipotentis Dei prouidentia iuxta beneplacitum suum de vocatione gentium disponentis) ecce inquam Ansgarii effectum est opera, quod alias per Wilebrordum Ebbonem & alios longa temporis intercapedine varijs conatibus effici minimè potuit. Vere Apostolus: *Non est volentis neque currentis sed Dei miserentis.* Magnus proinde Ansgarius visus Imperatori, magnus omni populo, adeò cunctis prædicationis gratia redditur venerabilis.

Ludouicus Pius Imp.

S. Ansgarium ad Archiepiscopatum Hamburgẽsem promouet.

Igitur Ludouicus Imperator iam patris cœpta ad consummationem perducere annisus, cùm probè sciret Beati Patris Ansgarij præclara facinora: scilicet Aquilonis Regna per ipsum diuini verbi illustrata esse fulgore; assumptum de Corbeiensi cœnobio, magno Principum & antistitum habito Conuentu, per manus Dragonis Metensis Episcopi Cæsaris germani fratris, adstantibus atque fauentibus Præsulibus Otgario Moguntinensi, Ebbone Remensi, Hetta Treuerensi & alijs, curauit illum in Archiepiscopum Hamburgensem promoueri, subiiciens spirituali eius ditioni omnia Aquilonis Regna, quicquid scilicet vltra Albim est situm populorum, Vandalos, Danos, Sueones, Gothos, Noricos, & quicquid gentium est ex illo latere mundi vsque in regionem nouissimam mortalibus habitatam.

Greg. IV. Pont. Rom. eundem

Quam rem cum Imperator per solennes Oratores Pontifici Gregorio IV. intimasset, ille promptus pallij missione & Apostolica con-

lica confirmatione omnia roborauit, constituens sua vice legatum per omnia Regna Aquilonis vsque ad vltimum terræ. Exinde sanctus Pater creditum sibi ingentes Legationis officium, strenuè obiuit, Danos, Sueones cæterosq; Diuini verbi monitis in fide solidauit aliosq; conuertit, terra mariq; Christi circumferens Euangelium, minimè seu tempestatum periculo seu atrocissimis aduersantium minis absterritus. Hoc enim modo, cui se deuouerat, sperabat martyrium, illud adeo sitiens, vt qualibet occasione animā ponendi in sacro ministerio gaudere sit visus.

confirmat suū per Aquilonem Legatum, pallioque Archiepiscopali donat.

Si quando tamen persecutionis sæuiendæ procella ab eo retardaretur officio, fratres Cœnobitas in monasterio Flandriæ Turholdtum (quod ei refugii gratia permisit Imperator Gallicum locum homini Gallico) reuisit, eosq; spirituali consolatione de dono Dei quo ipse plenus erat implebat. Cum sic per annos aliquot Pontificalis ministerium dignitatis laboriosè obiret, salutiq; gentium procurandæ ac propagandæ incumberet, vt semen Diuini verbi iactum in terram humani cordis fructificaret, vt maturesceret horreoque cœlesti aptum esset; inuidit inimicus homo tanto multorū ad salutem profectui, effecitq; vt Normannorum graui incursu res omnis turbaretur Normanni enim Danis Sueonibus sq; mixtis (nam Galli omnes Aquilonares sine discrimine Normannos vocant, siue quod vni sæpe Regi parerent, siue quod paribus animis ab antiquo ferrentur ad prædam mortuo Ludouico Imperatore valida in diuersum excursione effusi per Rhenum ascendentes Agrippinam Coloniam, per Albim vero Hamburgum vastauerunt, ex quo incendio Ansgarius pene nudus elapsus sese contulit in Ramsolam prædiū à venerabili ac prædiuite quadam illarum partium matrona Ibia nomine dono sibi datum. Ibi Oratorium cum fratrum receptaculo construxit. Turcholdt quoq; Monasterio destitutus est, eò quod cum reliqua Gallia post factam inter fratres sortionē in ius Caroli, cui postea Calui cognomen fuit, cessisset. Hocce perturbato rerum statu nihilo factus est segnior Ansgarius; sed vel ipse creditas sibi obibat Prouincias, vel alios in Regna misit diuini verbi prædicatores.

Turholtense cœnobium S. Ansgarii perfugium.

Normannorū seu Aquilonariū in Saxoniā & Franciam excursus cursum rei Christianæ retardat.

Colonia Agrippina & Hamburgum vastātur.

Ramsola S. Ansgarii prædium.

Ludouicus porro Ludouici Imperat filius Germaniā sortitus Hamburgi subuersionē miseratus, & Metropolitanæ Ecclesiæ desolationem statumq; Ansgarii Archipræsulis acerbissimo doloris affectu pertractās Bremensi Ecclesiæ vacanti diu multumq; renitentem præfecit, Nicolao I. Pontifice sic indulgente, vt ambæ copularentur, & deinceps pro vna censerentur. Sanctus itaq; Ansgarius Bremæ receptus inibi annos duodeuiginti consedit, cum antea Hamburgen. Cathedræ soli annis sexdecim prȩfuisset.

Bremensis Ecclesia Hamburgensi copulatur nutu Nicolai I. Pont. & S. Ansgario traditur.

Hoc regalis Munificentię dono confessor Dei oppido gauisus in

Erici Regis Daniæ conuersio.
Ecclesiæ Sliasuik in Dania erectio per S. Ansgarium.
Publica Christianismus suscipiendi in Dania potestas.
Anno Christi 848. denuo in Sueciam nauigat S. Ansgarius.
Olaus Sueonũ Rex ecclesiam Bircæ permittit erigi & baptismo subditos tingi.
Rembertus presbyter in Suecia relinquitur, S. Ansgario turbulẽtam Daniam reuisente.
Ericum Tyrannum placat & Christo reconciliat.
Ripense templum in Dania fundatur.
S. Ansg. Christianos vendi vetuit.
Dominicum diem operose violantes punivit.
Ternas congregationes pias instituit.
Ptochotrophea & Xenodochia constituit.

Daniam festinauit, Regemq; Ericum ex atroci persecutore Christianorum fidelem Catholicum reddidit; Ecclesiamq; in portu Sliæsuik erexit quæ in hodiernum vsq; diem sub nomine Diui Ansgarii perseuerat, facta etiam per Regem potestate vt quisquis vellet, in Regno suo se Christianis sacris addiceret, infinita gentilium ea suscepit multitudo: ex qua complures vt salutari Baptismatis fonte abluti sunt, ab omni etiam corporis infirmitate sunt soluti. Quibus ex voto completis dum adhuc pro Rege Sueonum æstuaret quæ vita functo Biorno iugum fidei videbatur abiecisse ab Errico Rege commendatirias impetrauit Epistolas & extemplo intrepidus à littore Daniæ soluens in Sueoniam nauigauit. Ibi Olaus tunc Rex Bircæ generalem sui populi habuit conuentum: quem præueniente misericordia Dei ita placitum inuenit vt qua eius imperio, qua populi consensu, qua iactu sortis, qua idoli responso Ecclesia ibidem fabricaretur, & Baptismi suscipiendi licentia passim omnibus concederetur. Regressus inde Ansgarius relicto in Sueonia Remberto Presbytero reperit Ericum Juniorem qui omni reliqua stirpe Regia Ciuili bello deleta, Daniæ sibi Regnum vsurpauit, furere in Christicolas efferatius Mystis eorum exactis Sacris ædibus ac remplis obseratis ac interdictis. Ad eum igitur comite fretus gratia Diuina venire sanctus non reformidans, cum ei memoriam maioris Erici vellicasset, crudelem Tyrannum sic pacatum & placatum reddidit, vt ad sanctum Christi cultum reductus sit ipse & subiectos sibi populos graui edicto ad eundem redegerit: insuper in alio Regni sui portu ad Ripam Templum Christiano ritu excitauerit, quod Sanctus Ansgarius itidem Remberto commendauit. Hamburgum vt postliminio reuenit ad suam Principem Ecclesiam, de venditione Christianorum Nordalbingos acri oratione redarguit, eumq; impium questum penitus aboleuit. Pari disciplinæ seueritate Frisios castigauit, qui religioni non duxerunt seruilibus operis diem temeritate Dominicum; pertinacius vero agentes igne cœlesti mulctauit. Et quoniam totum studium eius ad salutem animarum procurandam ferebatur, si quando à Deastricolis exteris erudiendis liber erat, sedulam domi congregationum suarum curam egit. Quarum primam quæ Hamburgo quondam Barbarica crudelitate depulsa est, ipse Ramsolam transtulit. Secundam Bremæ instituerat, integerrimorum virorum qui habitu quidem non differebant à Canonicis, viuendi tamẽ norma cænobitis pares. Tertiam Deo addictarum virginum Brixmonæ ordinauit; vbi deuota Christi matrona Ludgardis totum patrimonium suum offerens cœlesti sponso magnum chorum castitati deditum suis nutriuit auspiciis Ad subsidium autem pauperum & susceptionem peregrinorum multis locis Xenodochia constituit. Sed vnum habuit præcipuum

puum

puum Bremæ, quod ipse quotidie inuisens infirmis non erubuit ministrare: abs quorum plurimis non sola sacri inunctione olei, verum etiam verbo & attactu varios morbos depulit, Quin etiam prophetiæ spiritu extitit illustris. Nam sanctum Rembertum, longè ante virtutis suæ æmulum & in Cathedra Pontificali successorem, gratiaque meritorum in cælesti Regno consortem fore prædixit. Nec solum de suorum, verum etiam de alienorum incolumitate solicitus semper erat Ansgarius, vnde fiebat, vt captiuos redimeret, afflictos refoueret, domesticos erudiret, in Christiana Catechesi barbaros expoliret, foris Apostolus, intus Monachus, nunquam visus otiosus. Episcopos etiã tam voce quam literis arguens & obsecrans, vt super Dominicum vigilarent gregem instanter admonuit. Extabant diu Epistolæ eius plures aliaque salutaria monumenta, quæ nunc per incuriam (dolor) interciderunt. Vnam quidem Epistolam quam omnibus de sua legatione scribit Episcopis, quamque ab Ebbone cæptã asserit, ita concludit: Deprecor vt apud Deum intercedatis, quatenus hæc legatio crescere & fructificare mereatur in Domino. Iam enim Deo propitio & apud Danos & apud Sueones fundata est Ecclesia Christi & sacerdotes absque prohibitione proprio funguntur officio. Omnipotens Deus faciat vos omnes huius operis pia beneuolentia participes & in cælesti gloria Christo cohæredes.

Ægris ministrat. *Oleo sacro eosdem miraculose sanat.* *Prophetiæ Spiritu clarus.* *Captiuos redimit.* *Foris Episcopus, intus Monachus.* *Epistolæ S. Ansgarij interierunt.* *Clausula cuiusdam Epistolæ de Danis & Sueüs conuersis.*

Ætate tandem & assiduis laboribus defessus anno ætatis suę quarto supra sexagesimum, graui adeo ægritudine, quatuor amplius mensibus laborauit, vt ossibus & neruis duntaxat constare videretur. In Diuinis tamen laudibus perseuerans Deo semper gratias agebat, sicque in cęlum oculis intentis spiritum iam dudum meditatione cælis assuetum authori suo commendauit, tertio Nonas Februarias, anno post natum Christum Octingentesimo Sexagesimo quinto, cum sedisset annos triginta quatuor, sepultus Bremæ in Basilica S. Petri Apostoli.

Obitus S. Ansgarii.

Vitam eius libro vno complexus est S. Rembertus Archiepiscopus Bremensis: sed temporum iniuria interiit. Hanc nos ex Adamo Bremensis lib. 1. fere totam contexuimus. De eo etiam Eginhardus in gestis Francorum. Helmoldus in Chron. cap. 4. 5. & seq. Albertus Abbas Stad. in Chron. pag. 88. 89. 90. 91. 92. Annon lib. 4. c. 114. Saxo Gram. lib. 9. Albert. Crantz. in sua Metrop. lib. 1 Sigbertus in Chron. Ioan. Magnus Hist. Goth. lib. 17. & in sua Metrop. lib. 1. Lupoldus Luneburg. de zelo Christianæ religionis. Alexander Scultetus in sua Chronolog. Cæs. Baron. Tom. 9. Sigfridus Petri in suo de viris illustribus Frisiæ libro, vbi S. Ansgarium Frisium origine commemorat cæteris omnibus scriptoribus Gallum natione affirmantibus.

VITHMARVS EPISCOPVS FLORVIT ANNO CHRISTI 828.

Gregorio IV. Pontifice.
Lvdovico I. Imperatore.
Biorno & Olao R.R.

Vithmarus S. Ansgarii in Succiam comes.



ITHMARVS natione Gallus monasticam à teneris in Corbeia Franciæ professus vitam, tantum probitate morum doctrinæq; constantia, cùm apud suos, tùm apud piissimū Imperatorem Carolum Magnum valuit: vt dignus putaretur in eorum cooptari numerum qui Saxoniam totumq; septentrionem verbi Dei semente excolerent. Quare D. Ansgario socio ductoreque in Saxoniam primum venit, deinde iactis in ea religionis fundamentis mare Balthicum traiiciens Bircam Sueoniæ metropolim penetrauit, penè nudus à piratis spoliatus. A Rege tamen & incolis susceptus nouellæ plantationi doctrina verbi & operum sanctitate strenue insudauit. Multos igitur & ipse Christo Domino sua prædicatione lucratus Corbeiam cum triumpho rediit fratribus ad cuncta gaudentibus narrans quantam in nationibus Dominus gratiam ostendisset. Vtinamque eadem felicitate perdurasset fides, qua instituta eius fuere primordia. Sed enim serpens antiquus tam salubribus institutis calliditate sua multum obfuit. Quippe sanctis authoritatem nonnullorum opponens, tantas excitauit in Regno procellas, vt publica prædicatio locum non haberet. Cęterum proceribus auersis plebs in fide erudita quantum licuit filiis acceptam à Christi prædicatoribus religionem inculcauit & in occulto, salutem largiente Domino ad multos propagauit. Vithmarus autem ad amica claustri silentia reuersus, reliquum vitæ in contemplatione rerum cœlestium ac vigiliis transegit, & tandem bono fine quieuit.

A piratis spoliatus.

Multos Sueones Christo lucratus Corbeiam redit.

Factio Procerum religioni noxia.

De eo authores supra citati in vita S. Ansgarii. Tempus vero quo in Sueonibus erudiendis versatus sit, apud authores quos sequor non inuenio.

SIMON

SIMON EPISCOPVS FLORVIT ANNO CHRISTI 838.

Gregorio IV. Pontifice.
Ludovico I. Jmperatore.
Olao Rege.



IMON prius dictus Gaudebertus Ebbonis Archiepiscopi Rhemensis in Gallia nepos, à quo etiam (cum ipse Ebbo in adiutoriũ prædicationis S. Ansgario à Ludouico Imper. destinaretur, renueretq; seu corporis debilitate impeditus, seu domesticis negotiis detentus) Vicarius eidem Ansgario datus fuit. Is igitur consecratus Episcopus fiduciæ in Deum plenus Bircam est directus, vbi paratam prius ab Ansgario & Vithmaro inueniens viam ad salutem gentium lapsos erexit probauitque infidelibus fidem signis virtutibusque. Ecclesiam ibidem beneuolentia omnium fretus extruxit, in qua publice Euangelium prædicauit, numerum credentium auxit, probe instructos in religione suscepta roborauit. *Simon Episcopus Bircanum templum extruxit.* Cęterum non multo post commotione in Christianos per Amundum Regno pulsum excitata, persecutionis feruore coactus est Sueonia cedere. *Cedit Regno vi persecutionis.*

De eo Scriptores rerum Sueticarum Adam Brem. Lib. 1. cap. 21. Abbas Stad. pag. 98. Albertus Crantz. in sua Metrop. lib. 1. c. 32. 33. & 31. Io. Magnus in sua Metrop. lib. 1. pag. 6. & 7. Nulla tamen apud hos temporis, quo ibidem moratus sit expressio, neque quo se converterit, quid deinceps egerit, quoue modo finem vitæ clauserit, nota vlla.

NITHAR-

NITHARDVS MARTYR FLORVIT ANNO CHRISTI 840.

Gregorio IV. Pontifice.
Lvdovico I. Imperatore.
Olao I. Rege.

Nithardus cũ nonnullis aliis Christianis martyrio vitã consummauit.



ITHARDVS Presbyter legationis fidei in Sueoniam Simoni socius assignatus ab Ansgario in lucrum animarum fructu ingenti diu incubuit, donec sæua persecutionis excitata tempestate ab Amundo post probra & contumelias vitam suam glorioso Martyrio cum aliis nonnullis Christianis feliciter consummaret. Necdum scilicet perspexerunt Gentiles quãtum boni eis inferret, sacrum Christi Euangelium; cuius videlicet suffragante salutifera ope, idolis eliminatis dæmonibusque nefariis, animarum hostibus abactis, in libertatem spiritus assererentur, rerum temporalium vberiori affluerent copia, inuitarenturque ex hac demum aspectabili luce ad illam imperceptibilem corruptibilibus oculis beatitudinem. Erat hic annus à nato Christo quadragesimus post octingentesimum, quo Ludouicus pius Caroli Magni filius, rebus excessit humanis.

De eo Scriptores rerum Sueticarum. Adam Brem. lib. 1. cap. 21. Alb. Crantz. in sua Metrop. lib. 1. cap. 33. Io. Magnus in sua Metrop. lib. 1. pag. 6. & 7.

HERI-

HERIGARIVS FLORVIT ANNO CHRISTI 840.

Gregorio IV. Pontifice.
Ludovico I. Imperatore.
Olao Rege.



ERIGARIVS (Ericus vulgo) Bircæ Ciuitatis Præfectus Regiſque Conſiliarius è primis quos S. Anſgarius ad fidem conuertit & ſacro Baptiſmate luſtrauit vir inclytus velut alter Sebaſtianus ſubmilitari habitu Chriſti militem gerebat. Ædes proprias in Eccleſiam conuertit, in eaque Apoſtolico inſiſtens muneri Chriſtum prædicauit famaque virtutum in omnem poſteritatem celeberrimus euaſit. Depulſis Regno Deaſtricolarum furore gentilium verbi Dei prædicatoribus vel diuexationis gladio conſumptis, ſeptennio ſolus Chriſtianitatem ſuſtentauit tantamque fidei gratiam meruit, vt potentia miraculorum ex exhortatione doctrinæ multa Paganorum millia Chriſto fuerit lucratus.

Herigarius à S. Anſgario conuerſus.

Domum ſuam in templum conuertit.

Catecheſi & miraculis multa millia Chriſto adiungit.

De eo Scriptores rerum Sueticr. Adam Brem, lib. 1. cap. 16. & 21. Abbas Stad. pag. 89. Albertus Crantz. in ſua Metrop. lib. 1, cap. 32. & 33.

HARTGA-

HARTGARIVS EREMITA FLORVIT ANNO CHRISTI 846.

SERGIO II. Pontifice.
LOTHARIO Imperatore.
OLAO Rege.



NECDVM ferox illa Gentilium in Christianos rabies per Sueoniam deferbuerat, cum fama eius rei ad S. Ansgarium peruenit, tum Ramsolæ exulantem, qui instar boni ac sollicitì pastoris memor Dominici gregis, ne legatio sua in gentes, iniuria quapiam remoram pateretur, mox Hartgarium Eremitam laudatissimæ vitæ virum sui loco suffecit. *Hartgarius laudatißima vitæ Eremita.* Hartgarius sarcinam impositam non detrectans gentem ferocem adiit intrepidus, cuius non paucos conuersationis prædicationisque suæ sagena conclusit, illo largiente gratiam qui ituris in orbem vniuersum adfuturum seipsis omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi recepit.

De eo Scriptores rerum Sueticarum Adam Brem. Lib. 1. cap. 23. Abbas Stad. pag. 91. Albertus Crantz. in sua Metrop. lib. 1. cap. 33. reliquum eius vitæ cursum, labores ac finem hactenus reperire nequiui.

GOSBER-

GOSBERTVS EPISCOPVS ET MARTYR FLORVIT anno Christi 876.

Nicolao I. Pontifice.
Lvdovico II. Imperatore.
Amvndo Rege.



OSBERTVS à S. Ansgario consecratus Episcopus & in Sueoniam Euangelij prædicator ordinatus turbata ibi per seditionem Christi religione recenter fundata prouincia extruditur. Quare confugit ad illum ipsum à quo inauguratus fuerat, & ab eo commendatus ad vicinam tunc vacantem Ecclesiam Osnaburgensem, ei dignissimè pręfuit annis decem. Mortuo vero Ludouico Ludouici Imp. filio inuictissimo Germaniæ Rege, Dani ac Normani infideles multis millibus armati venere in Saxoniam. Occurrunt perfidis Idololatris fideles Christiani Duce Brunone; certi vel pro Christo mori vel tantam repellere barbariem perfidorum. Graue prælium, vbi conuenere in loco Ebberstorp, conseritur, & diu acriter inimicis Christi resistitur. Sed vicit ferox & infinita barbaries totumque Christi agmen ad internecionem deleuit, Christo sibi in suo sanguine adeo speciosam & celebrem consecrante cohortem. Huic fidelium agmini sociatus Gosbertus crudeli cæde mactatus pro Christo occubuit Anno Septuagesimo sexto post octingentos.

Gosbertus à Sueciapulsus fit Osnaburgensis Episcopus.

A Normannis infidelibus trucidatur.

De eo Albertus Crantz. in sua Metrop. lib. 2. cap. 3. 11. 12. & 13.

S. REMBERTVS ARCHIEPISCOPVS BREMENSIS DICTVS SVECIÆ EVANGELISTA, FLOruit anno Christi, 888.

Nicolao I. Pontifice.
Lvdovico II. Imperatore.
Olao Rege.

S. Remberti indoles.



Anctvs Rembertus natione Gallus puer à parentibus traditus est Patribus Monasterii Turholden, litteris & pietate imbuendus. Quem inibi ea ætatula matura morum grauitate, singulari pietatis sensu, quiduis diuinorum officiorum pertractantem, dum S. Ansgarius animaduerteret, fatidico prædixit spiritu illum suæ virtutis æmulum & in Cathedra Pontificali successorem gratiaque meritorum in cælesti Regno fore consortem. Assumpsit eum statim parentum voluntate in discipulum & Apostolicæ legationis comitem, nimirum tale quid in eo prospiciens, quale olim Alexander Episcopus Alexandrinus in Athanasio viro incomparabili tum quidem puero prouiderat.

Vaticinium de illo S. Ansgarij.

Anno igitur Incarnationis Dominicæ Quadragesimo Octauo supra octingentesimũ cum secundo ex Suecia discederet Ansgarius Rembertum tunc Presbyterum Dominici gregis custodẽ post se reliquit. Ea cura quantũ profecerit indicio sunt honores redeunti à Ludouico Rege & vniuerso clero decreti. Mortuo enim Beato Ansgario, in Archiepiscopum Bremen: omnium voce dignissimus eligitur, consecratus à Luberto Moguntinensi Archiepiscopo venit Corbeiam habitumq; suscepit cum professione Monastica: Cui Adalgarius Abbas germanum & cognominem suum concessit Adalgarium, qui postea & socius prædicationis & hæres esse meruit dignitatis. Pallium Pontificale suscepit à Papa Nicolao I. Inuestiturã vt vocant feudalẽ à Ludouico Rege Germaniȩ.

S. Ansgario in Archiepiscopatu succedit.

A Nicolao I. Pont. confirmatur.

Legationis suæ Officium quod ad prædicandum gentibus verbum Dei primũ à prædecessore suo susceptum est, & tunc sibi iure successionis quasi hȩreditariũ prouenerat impigrè est executus; ipse quidẽ per se quoties occupationes aliæ sinerent eidem legationi insistens semper autem constitutos habens Presbyteros, à quibus & verbum Dei gentiles identidem exciperent & solatium captiui referrent Christiani. In Ecclesiis inter ipsos Paganos longo interuallo constitutis, quodq; grauissimum per maxima discrimina, inuisendis, erat perquam laboriosus; quȩ quidem discrimina ipse fortiter, sæpè naufragio sȩpe etiam aliis periculis iactatus pertulit spe futurȩ beatitudinis, omnia præsentis vitæ aspera leniens, illudque

Boreales Ecclesias per se vel per alios visitauit.

ladq; Apostolicum continua meditatione reuoluens: non sunt condignę passiones huius tẽporis ad futuram gloriã quæ reuelabitur in nobis.

Captiuis redimendis etiam sacra vasa distraxit.

Cum sic Rembertus omne tẽpus operibus pietatis exercendis transmitteret pręcipua illi cura fuit de redemptione captiuorũ. Cumq; plures tenerẽtur à Danis & Vandalis quam illius ære possent redimi, sacra etiam vasa distraxit in Lytron miserorum: sanctius arbitratus preciosas Christi animas in libertatem vindicare, quàm aurum intra sacrarium cõgerere.

Normanni Frisiam inaccessam peruadunt populabundi.

Christiani multas Ethnicorum chiliades auspicio S. Remberti necant.

Locus in quo S. Rembertus victoriam precabundus obtinuit posteritati memorabilis.

Tantus autem turbo tunc è Danis & Normannis erupit Regionibus, vt non modo Saxonia, sed & Frisia inuijs alioquin paludibus inaccessa, populationem sustinuerit. Contigit vero eos Diuino iudicio ad quendam Frisiæ pagum peruenire quem in remotis ac mari magno vicinis locis situm, Noruide nomen est) euertere Barbari sunt aggressi. Erat illic eo tempore Rembertus Archiepiscopus, cuius adhortationibus & doctrinis confortati agricolæ & regionis indigenæ Christiani cum hostibus fortiter cõgressi prostrauerunt ex illis 10378. Plures etiã dum fugæ quærunt præsidium in transitu fluuiorum enecati. Quã de hostibus reportata victoriã S. Rembertus apud Frisones celebratissimus confirmatur, siquidem & collis in quo vir sanctus hic preces, dum pugnaretur, fundebat, perpetuam cespitis viriditatem retinet, & saxum quo genua flectens fessa brachia fulciuit eorundem etiamnum venerabile gerit vestigium.

Tempestatem maris sedauit.

Sacramento Confirmationis cæcum illuminauit.

Regis Franciæ filium à Dæmonio liberauit.

Multis præterea aliis miraculis eiusdem viri sanctimoniam etiam viuentis Dominus illustrare dignatus est. Nam oratione sua tempestatem maris frequenter eundo in Sueoniam sedauit. Cæcum quem ritu Præsulari sacræ confirmationis initiauerat sacramento illuminauit. Præterea filium Regis Franciæ à Dæmonio liberauit: vbi multis adstantibus Episcopis spiritus immundus sæpè ex ore vexati vociferatus, Rembertum inter eos solum dignè commissum absoluere officium, magnoque sibi cruciatui esse attestabatur.

Normannicæ eruptionis occasio.

Boreales prædationibus assueti.

Mirari sanè quis posset quomodo ex illis Regnis iã Christi iugo mansuefactis tanta fieri potuerit eruptio Barbarorũ, Christicolas persequentium, cum Ansgarius Rembertus aliiq; crebra legatione fungentes, prędicando in Dania atque Suecia nec non erectis per Regna & Prouincias Ecclesijs Episcopisq; inibi institutis, fidem Christi longè lateq; prouexissent: Certè rei nouitas in religione & regnorũ amplitudo facile ista fieri sinebant, vt alii Christo credentes domesticæ quieti vacarẽt, alii indomitis ceruicibus tanto tumultuãdo sæuirent acrius, quanto dolerent vehementius propulsis antiquis suę gentis superstitionibus Christi fidem vbiq; iam inualescere. Quippe dulcedini prędę iamdiu innutriti non facile animum religioni subdere poterant, nec à diuturna cõsuetudine latrocinandi dimoueri. Rembertus verò Moysis instar erat vir mitissimus,

qui cum Apostolo omnium infirmitatibus compateretur, præcipuam curam gerens pauperum & captiuorum istos redimendo, illorum inopiam liberalitate subleuando. Cumque quadam vice regionem Danorum peragrando Ecclesiam Slesuicensem nouellæ plantationis visitaret, videretq; multitudinem Christianorum vinctam catenis captiuam trahi, quos partim per littora populabundi, partim in ipso mari prædabundi Dani ceperant, solito charitatis affectu commotus, & cathenam oratione ad Deum fusa perfregit, & equo cui forte insidebat in redemptionem miserorum tradito captiuos laxauit animosque ferores Barbarorũ placauit. Presbyteri cuiusdam Ænulphi nuper defuncti animam, quod sibi in visu apparens supplicasset, quadraginta dies in pane & aqua ieiunans, à tormentis purgatoriis pius intercessor expediuit.

Captiuos miraculo liberat S. Rembertus.

Viuorum opera pia defunctis prodesse nota.

Cœnobiũ fundauit S. Rembertus.

Xenodochium auget.

Prædecessor eius quum quatuor fundasset cænobia, quintum ille in solitudine Bucken adiecit. Cæterum omnem vigilem solicitudinem implens Hamburgens. Cathedræ præcipuam egit curam, tam fratribus quam pauperibus necessaria ministrans. Xenodochium Bremæ quod ad egenorum sustentationem à S. Ansgario fuit institutum ipse insigniter auxit: & non modo in suo Episcopatu sed vbicunq; erant & quicunque pauperes, alimoniam illis cum omni vigilantia curauit exhiberi, memorabile posteris & ad persuadendum efficax dictum vsurpans: *Non esse hæsitandum quominus cunctis subueniamus pauperibus, quia in quo sit Christus seu quando ad nos veniat ignoramus* Eleemosynam salutarium exhortationum omnibu sincessanter magna promptitudine impertiuit, dictaque præclara sancti Gregorii eam ad rem spectantia iugi memoria & sermone versauit, quin & sua manu posteris etiam profutura descripsit. Epistolæ eius diuersæ ac plures circumferuntur; sed precipua quædam ad virgines in qua virginitatem corporis extollens, ostendit multas mente abire in Ægyptum quantumuis corpore in monasteriis perseuerent. Tandem confectus labore & senio quos per se non potuit per Adalgarium coadiutorem suum in Domino confortauit. Excessit autem ex hac luce anno Christi octingentesimo octuagesimo octauo pridie Nonas Februarias, postquam sedisset in Archiepiscopatu annis tribus & viginti, Sepultus Bremæ extra Basilicam S. Petri, vti non leui submissionis argumento rogauerat.

Mirus pauperum fautor.

Sententia S. Gregorii.

Virginitas laudatur à S. Remberto.

Obitus S. Remberti.

Deeo Bauo Corbeiensis Abbas de sui temporis mirabilibus actis. Adam Brem. lib. 1. Cap. 16. 36. 37. & 40. Helmoldus in Chron. lib. 1. cap. 8. Abbas Stad. 93. 94. 95. & 96. Albertus Crantz. in sua Metrop. lib. 2. cap. 2. 10. & 11. Surius 4. Februarij, Cæsar. Baron. Tomo 10.

VNNO

VNNO ARCHIEPISCOPVS BREMENSIS FLORVIT ANNO CHRISTI 919.

IOANNE X. Pontifice. BERENGARIO Imperatore. INGONE Rege.



ENERABILIS Vnno vir habitu quidem corporis deſpicabilis,ſed Deo multum amabilis, hominibus quoq; gratus,vita ſanctus, opere induſtrius inclaruit anno Incarnationis Dominicæ noningenteſimo vndeuiceſimo. Aſſumptio eius in Archiepiſcopatum Diuina voluntate facta liquido omnibus innotuit. Nam cum Ledradus Bremenſis Chori Prępoſitus à Clero & populo poſt Regmuardum ſurrogaretur, profectus eſt ſolenni more ad Regem Germanię Conradum Pontificalem ferulam, hoceſt regalia temporalis dominii iura ab illo accepturus:in familia duxit Vnnonem ſuum tunc Capellanum. Cumque in conſpectum Regis Ledradus prodiret electus non longe aberat Vnno dominum ſuum inſecutus. Rex Electionis Ordinem perſpiciens ferulam quam manu tenebat pręterito Ledrado à tergo adſtanti tradidit Vnnoni Capellano,eum Eccleſię Pontificem deſignans. Agebat Regem Diuinus vt creditur ſpiritus qui olim in Samuele loquebatur vt præteritis Iſai ſex eximiæ proceritatis filijs, patuulo Dauid regni ſceptrum & Prophetalis vnctio ſeruaretur. Vnno itaque diuinitus in Epiſcopatum ſublimatus pro ſua ſanctitate Principibus Conrado atque Henrico Regibus Romanorum venerandus & perchatus euaſit. *Vnno Capellanus Ledrado electo præponitur à Caſare & Epiſcopatum conſequitur.*

Non multo poſt Conrado ſuffectus Henricus vir timens Deum,& in eius miſericordia totam ponens fiduciam, cum ſtatuiſſet de Vngaris, Bohemis,Vandalis,&Danis Germaniæ ac potiſſimum Saxoniæ prædonibus vindictam ſumere, Vngaros quidem multis grauibusque præliis repreſſit, Bohemos vero cæteroſque Vandalos vnius prælii impetu adeò contudit,vt reſiduos,multis deletis,ad imperata exequenda facile induxerit. Deinde cum exercitu ingreſſus Daniam Regem Gormonem Chriſtianorum hoſtem crudeliſſimum primo ſtatim incurſu ita conterruit,vt paratum ſe ille cum Romanorum Rege ex æquo & bono pacifici pollicitus fu erit. Per hanc Henrici victoriam videns Venerabilis Vnno oſtium fidei eſſe gentibus reſeratum, non dormitabat. Præcipuè vero quia legatio Hamburgen. Eccleſiæ pro temporũ malitia diu intermiſſa erat præueniente miſericordia Dei & Regis operante virtute datã occaſionem non eſt paſſus inanem pręterire. Igitur nihil arduum nihilq; periculoſum reputás,quod honori Diuino & animarũ lucro impenderetur, amplitudinẽ ſuæ ditionis nõ per vicarios,ſed per ſeipſum cõſtituit obire. *Henricus Imp. Vngaros reprimit. Bohemos & Vandalos ſubigit.* *Danos domat territo Rege Gormone.* *Diu intermiſſam Borealiũ Legationem S. Vnno perſeipſũ redintegrat.*

Poſtea vero quã Dei Confeſſor peruenit ad Danos, Gormonẽ quidẽ

Haraldum Regis Danici filiũ Christo lucratur.

Tyrá Regina Christiana.

præ ingenita placare nequiuit ferocitate; filium tamen eius Haraldum sua lucratus est prędicatione. Quę adiuuante matre Tyra fœmina Christianissima ita Christo fidelem effecit, vt Christianitatem quam pater execrabatur, ille excoleret & publicè fineret prædicari. Eius igitur adiutorio fultus Vnno cunctas Danorũ insulas penetrauit, Euangelizãs Regnũ Dei gentibus & fidelibus quos inibi ab aliis cõuersos reperit, captiuos etiam in Christo corroborans solabatur. Deinde vestigia secutus Magni Ansgarij mare Balticũ traiiciens graui labore peruenit Bircam, tunc Suetici Regni caput; quo post obitum S. Ansgarii iam per annos propè 40. nemo doctorum pręter solum Rembertum pedem inferre ausus erat. Eo in portu Confessor Domini Vnno egressus in terram, intermissam legationem redintegrauit, & abolitam agendi cũ populo innouauit consuetudinẽ, quippe Sueones & Gothi propter Barbarica excursionis tẽpora quibus paucis annis multi Reges cruento dominabantur imperio, Christianæ religionis penitus obliti haud facilè animos reducebant ad Christi fidem recipiendã. Institit tamen opportunè importunè vt Reges etiãsi Christianismum ipsi respuerent, verbum tamen Salutis spargi populo paterentur, Itaq; indefesso sancti Patris studio effectũ est, vt populi quorum parentes per B. Ansgarium & Rembertum Christo sua nomina dederãt, sed tẽporum iniquitate ad cultum Deastrorũ relapsi fuerant, postliminio demum ad Christum vitę authorem reuerterentur. Perfecto autem suæ Legationis ministerio, cùm tãdem rebus in ordinẽ redactis atq; in bono statu collocatis reditum Christi internuncius apparat apud Bircam ęgritudine correptus ibidem fessi corporis tabernaculum deposuit. Anima vero multarum lucro animarum diues ad cælestia Diuorum domicilia euolauit. Discipuli Pontificis exequiis non sine luctu & spirituali gaudio procuratis reliquũ quidem corp⁹ in eadem Vrbe sepelierunt; caput vero Bremam asportatum qua par erat decentia in Ecclesia S. Petri ad altare cõdiderunt. Exegit aũt legitimum boni certaminis cursum anno tricesimo sexto post Nongentesimum circa medium septembris cum in Pontificatu exegisset annos decẽ & octo. Exemplar omnium Pontificũ vsq; adeo pro salute credentium omnium sollicitus vt etiã quæ omnibus solet esse charissima vitam prodegerit. Nauigationis incommoda, senectutis labores, pericula maris ac barbarorũ vexationes omnes vno Christi amore & animarum desideratissimo semper lucro exuperans, iam sollicita breuis vitę officia (quę multi pastores rebus postponunt inanibus, ipse vigilantissima semper cura multorum saluti impenderat) perenni beatitudine compensata inuenit lætusque nobis desuper inclamat: *Sicut audiuimus sic vidimus in Ciuitate Domini virtutem.*

S. Vnno Bircã nauigat & abolitam per 40. annos religionem innouat.

Birca moritur ibique tumulatur cap. te Bremã asportato.

S. Vnnonis laudes Præsule digna.

De eo Adam Brem lib. 1. c. 50. 51. & 52. Helmol. Abbas Stad. pag 98. 102. 103. Saxo Gram. lib. 10. Alib. Crantz in sua Metropole lib. 3 c. 5. & 6. Genebrardus in sua Chron. Cæsar Baronius Tomo 10. pag. 705. 833. & 860.

LIFDA-

LIFDAGVS EPISCOPVS ET MARTYR FLORVIT AN. CHRISTI 946.

Agapito II. Pontifice. Constant. Imper. Emvndo R.



POstqvam ad ſuperos euolaſſet B. Vnno voluntate Ottonis Regis, ſuffectus eſt Adaldagus in Archiepiſcopum Brem. genere illuſtris, ætate iuuenis, verumtamen per omnia induſtrius. Hic primam ſibi religionis conſeruandæ propagandęq; curam ſuſcipiendam putauit. Qua in re Ottonis Regis familiaritate fretus quaſcũque emergẽtes facile ſuperauit difficultates. Amundus quoq; Gottorum Sueonumq; Rex Erici filius, Haraldo Danię Regi Chriſtiano confœderatus Chriſtianis eo venientib. placabilis fuit. Itaq; ex legatione ſua Lifdagus quæ progentium ſalute primo à prædeceſſoribus ſuis ſuſcepta fuerat hoc emolumẽti habuit, vt quod alii in lachrimis ſeminauerant ipſe meſſuerit in gaudio; plurimum interim ſollicitus totoq; animi deſiderio incenſus æſtuabat, id ad effectum deducendi quod religioſo conceperat affectu. *Adaldagus Bremenſis Archiepiſcopus.*

Quocirca Lifdagum oriundũ Friſia inter alios Apoſtolicæ dignitatis viros Adaldagus in Præſulem Ordinatũm Sueonibus, Danis, Normannis præfecit, prædicandiq; illi commiſit prouinciã. Et vero cum nullæ adhuc certæ Epiſcopis conſtitutę eſſent ſedes ob perſecutiones paſſim ingruẽtes vel ad habitandũ ſecuræ, quiſq; plantandi ſtudio Chriſtianiſmi in vlteriora progreſſus verbum Dei tam ſuis quã alienis prędicare certabat. Sic ſane vir ſanctus zelo Diuino feruens prouincias ſibi creditas ſolerter obiuit, verbumq; ſalutiferum Dei in agro cordis humani ſerẽs multos Chriſti Eccleſiæ aggregauit. Dumq; in dies populum cęleſtis doctrinę adminiculo multiplicaret, & ipſe vitæ ſanctimonia iter cæleſtis Regni cõmonſtraret; Spiritum tandem profuſo ſanguine pro Chriſti religione reddidit, ab infidelibus in Ciuitate Ripenſi trucidatus, Anno ſalutis humanæ Nongenteſimo quinquageſimo, multis poſt mortem clareſcens miraculis. *Lifdagũ creat Epiſcopum & propagando Borealibus Euangelio præficit.* *Ripa in Dania martyr occumbit.*

De eo Adam. Brem. lib. 2. c. 16. Abbas Stad, pag. 110. qui mortem eius refert in annum 984. Albert. Crantz. in ſua Metrop. lib. 3. c. 17. 26. & 40.

ODINCARVS SENIOR EPISCOPVS FLORVIT ANNO CHRISTI 960.

IOANNE XII. *Pontifice.*
CONSTANT. *Imperatore.*
EMVNDO *Rege.*

Odincarus è Dania pulsus, fit Sueonum & Noruegor. Episcopus.



DINCARVS Regio Danorum genere illustris, fidei Christianæ agnitæ susceptæque causa, patria pulsus, Suenone I. persecutionem mouente infideles, Bremam migrauit, ab Adaldago Archiepiscopo benignè susceptus. Mox in Sueoniam & Noruegiam ordinatus Episcopus, strenuè legationis suæ partes adimpleuit. Erat enim vir sanctissimus & in Diuinis scripturis versatissimus. Vnde & facile Barbaris eiusdem gentis & linguæ potuit Christianam religionem persuadere. Cumq; multiplici fructu bonorum ac ingenti fidelium animarum lucro ditasset Ecclesias in Christi pace obdormiens ad meliora transiuit præmia meritorum excepturus. Obijt Bremæ anno Domini circiter nongentesimo nonagesimo ibidem in Basilica S. Petri sepultus.

Bremæ obiit.

De eo Adam Brem. lib. 2. cap. 16. & 26. Abbas Stad. pag. 110. sed mortem eius refert in annum, 984. Albert. Crantz. in sua Metrop. lib. 3. c. 38. 43. lib. 4. c. 3. & in sua Suecia lib. 5. c. 12. Saxo Gram. lib. 10. & alij rerum Danicarum scriptores, qui mortem eius referunt ad Annum 1019. Genebrardus in sua Chronic.

POPPO

POPPO EPISCOPVS ET MARTYR FLORVIT ANNO CHRISTI 990.

IOANNE XV. Pontifice.
OTTONE III. Imperatore.
ERICO VICTORIOSO Rege.



OPPO natione Frisius, seu vt alii volunt Danus, vir scientia & morum grauitate non inferior, quam nobilitate, multis in iuuentute peragratis regionibus multa vidit, audiuit & recensere potuit. Vnde tam Ottoni III. Imperatori quam Libentio Archiepiscopo Brem. charus & iucundus euasit. Excitauerat ea tempestate Suenotto Rex Daniæ parricida magnam in Christianos persecutionis procellam, nec legationibus aut muneribus vllis Archiepiscopi licet crebris sollicitaretur, flecti se passus est, vt vel minimum ferocitatis deponeret Christianisque redderetur amicior. Quin & bis à Vandalis captus, ludibrio habitus totiesq; à suis ingenti auri pondere redemptus necdum meliorem redemptorē agnoscere voluit. Iratus igitur furore Dominus tradidit eum in manus inimicorum eius vt disceret non blasphemare. Potentissimus enim Sueonum Rex Ericus à crebris contra Russos, Æstones, Liuones, Curetes, ac Danos victoriis cognomento Victoriosus collecto innumerabili Exercitu Daniam inuasit & cum Suenottone à Deo derelicto congressus bello nauali, cum omnes essent Danorum copiæ contritæ, Ericus Rex victor, Daniam subactam ad mortem vsque imperio suo rexit, Suenotto ergo regno depulsus dignam factis suis à Deo mercedem recepit.

Suenotto Rex Daniæ Christianorum implacabilis hostis.
Sepius captus & redemptus.
A Sueonum Rege Erico Victorioso Dania depellitur.

Sed cum Ericus quoq; Paganus hostis Christianorum existeret, missus est ad eum Poppo legatus Cæsaris & Archiepiscopi Bremensis nominc tum in Slesuicensem ordinatus Episcopum, vbi de pace Christianorum apud Principem multis expostulauit, magnaque populi frequentia in concionem euocata de religione Christi suscipienda disseruit, multa inferens ad conuellendam vanam veterum & superstitiosam religionem, & ad fundandam & persuadendam solidam & veram Christi doctrinam. Eo tum deuoluta est disputatio vt rebus potius quam verbis comprobaretur veritas. Cum enim Rex ac Regnicolæ suo more signum quærerent; Ecce inquit Poppo ferrum in modum Chirothecæ fabrefactum cui manus cubito tenus inseratur iubeo totum igniri spondeoq; portaturum me sine læsione in quem locum constitueritis, per virtutem Euangelii IESV Christi & veræ religionis eius.

Poppo in Episcopum Slesuicensem ordinatus.

Miraculo fidem Christianā Danis infe- uit.

Magna cupiditate accepta sponsione expectabant vniuersi vt impleret quod dixerat. Ille ignito ferro manum induit, & intrepidus sine vlla contractione vultus, aut significatione doloris deportauit, & Regis ante pedes excussit. Cernite inquit & colite virtutem IESV Christi cui parent elementa omnia, quippe qui fecit cælum & terram, & vniuersa quæ illorum ambitu continentur. Nunc si quis assertor, veterum fidar religioni quam coluit, experiatur virtutem Dei sui quem adorauit. Alio æquè insigni miraculo idem vir præclarus fidem populo nouellā probauit. Tunicam indutus ceratā cum staret in medio populi circo, in nomine Domini præcipit incendi: ipse vero oculis ac manibus in cælum porrectis, liquantes flammas tam patienter sustinuit, vt veste prorsus combusta & in fauillam redacta, hilari ipse vultu nec fumum incendii se sensisse testaretur. Obstupuêre omnes miraculorum nouitate conterriti, & mutire non audebant: quique ante refractarios sese præbuerant, in album fidelium referri supplicarunt. Rex ipse, reliquiq; præsentes sacri Baptismatis vndam salutarem ad vnum omnes (quorum multa fuere millia subierunt, mansitque nomen Pupponis per populos & Ecclesias in omnem posteritatem vbique celebre.

Alio miraculo.

Rex Ericus cum gente conuertitur.

In Sueciam verbi diuini nuncios tre permittit.

Ericus igitur cum suis in Dania conuersus & baptizatus, occasionem dedit prædicatoribus Dania expulsis in Sueoniam tranfeundi, qui magna fiducia verbum Dei Euangelizabant; Etsi non desint qui dicant. Ericum post susceptum Christi cultum, Ethnicos ritus renouasse. Poppo verò promotæ fidei ac sanctitatis opinione iam domi forisque magnus, Archiepiscopo familiarissimus viriliter fidem Catholicam tutatus est, quoadusque ætate confectus Bremæ carne deposita spiritum ad beatorum sedes transmitteret. Anno Christi Millesimo Vndetricesimo sepultus in sancti Petri æde principe.

Poppo Bremæ moritur.

De eo scriptores rerum Sueticarum, Adam Brem. lib. 2. cap. 26. & 44. Abbas Stad pag. 109. hic asseritYpponem venisse in Daniam anno 974. Saxo Gram. lib. 10. qui vult eum post obitum Erici Victoriosi eodem ad prædicandū concessisse, postquam Sueno potitus fuit imperio, & sub eodem Suenone mortuum. Sed verius Adam Brem. vicinus temporibus Popponis à Libentio I Archiepiscopo Bremen. missum in messem, & eodem cum Vnuano Libentii Successore tempore obiisse. Cæpit autem Libentius Anno 989. atque tum rerum in Dania potiebatur Ericus; Vnuanus vero obiit anno 1029. Albertus Crantz. in sua Metrop. lib. 3. cap. 42. & lib. 4. cap. 3 & 8. Idem in sua Suecia lib. 5. cap. 12. Ioann. Magnus in sua Metrop. lib. 1. Sigebertus in Chron.

ODIN-

ODINCARVS IVNIOR EPISCOPVS FLORVIT ANNO CHRISTI 1000.

SYLVESTRO *II. Pontifice.*
OTTONE *III. Imperatore.*
ERICO *Victorioſo R.*

DINCARVS Iunior ab aliis cognominatus Albus Tockonis Vinlandenſis Ducis filius, Canuti Regis Daniæ ex ſorore nepos, ab Adaldago Atchiepiſcopo Bremen. baptizatus, ab eoque nomen ſortitus, per eundem Bremenſi Scholæ traditus, in litterarum ac pietatis ſtudio ſupra commilitones profecit. Cum deinde adoleuiſſet, à Canuto Rege in Angliam grauiorũ ſtudiorum cauſa perductus, inde ſapientis ſeu Philoſophi nomen retulit. Et cum politico ſtatu relicto ad Eccleſiaſticum animum ſapienter applicuiſſet, atque animas errore gentilitatis perditas ad Veri Dei agnitionem perducendi deſiderio flagraret, à Libentio I. Archiepiſcopo ordinatus Epiſcopus, Sueoniam, Scaniam, Sielandiam, & Noruegiam verbi Dei prædicatione illuſtrauit. Odincaro Seniori conſanguineo, quo prius fuerat vſus Magiſtro & doctore, neque litterarum peritia, neque vitæ ſanctitate, neq; zelo ceſſit animarum; ſed multos ipſe quoque pro Chriſto in Suediam & Noruegiam nauigans, exantlauit labores, vt rudem populum ad Chriſti religionem perduceret, vel iam illa imbutum dicendo ſolidaret. Ripenſem Eccleſiam ſuo dotauit patrimonio, tertia videlicet parte Eparchiæ Vinlandenſis. Et licet vit tantatum eſſet opum, miræ tamen fuit continentiæ: ex cuius vel vnico virtutis exemplo licebit coniecturam facere de reliquis. Solenne illi quippe fuit omni quadrageſimali tempore alternis diebus, ſpontaneis corpus ſubiicere flagris, iiſque non propria quæ blandior eſſe ſolet, verum aliena manu quæ acrius cutem afficit (Presbytero cuidam id muneris demandauerat) inflictis, ſicque piis operibus petquam addictus illuſtri vita ac ſanctæ conuerſationis exemplo multos Eccleſiæ aggregauit fideles, Deoque & hominibus fuit acceptus. Tandem ſenio fractus è vita ceſſit die, qui Chriſto rediuiuo eſt ſacer, anno reparatæ ſalutis Milleſimo quadrageſimo ſecundo, cuius obitus præſcius, rerum ſuarum diſpoſitioni ſupremæ voluntatis teſtatione conſuluit Bremæ ſepultus.

Odincarus illuſtri genere ortus.
In Anglia grauioribus ſtudiis dat operam.
Epiſcopus ordinatur.
Seniori Odincaro dotibus animi non inferior.
Ripenſem Eccleſiam patrimonio ſuo dotat.
Mira abſtinentia vir.
Corpus ſuum cum Apoſtolo in ſeruitutem redigit.
Præſcius mortis obiit.

De eo Adamus Brem. lib. 2. *cap.* 26. 27. 34. *&* 46. *Abbas Stad. pag.* 117. *Saxo Gram. lib.* 10. *Crantz. in ſua Metrop lib.* 3. *cap.* 38. *&* 43. *lib.* 4. *cap.* 11. *&* 27. *qui obiiſſe eum affirmat anno Chriſti* 1043.

GOTE-

GOTEBALDVS EPISCOPVS FLORVIT ANNO CHRISTI 1000.

SYLVESTRO II. Pontifice.
OTTONE III. Imperatore.
ERICO Victore R.

Gotebaldus Zelo fidei vltro Suedis & Noruegis Christū annunciat.



OTEBALDVS Episcopus Anglus natione cum audiret Aquilonaria Regna auscultare Euangelio Christi, protinus ad prædicandum aduolauit, Sconiamq;, Suediã, Norvvegiam Euangelij luce collustrauit Anno salutis Millesimo. Quæ res & si Legationi Bremensis Ecclesię prę iudicium intulisse videretur, quod scilicet aliundè veniens euangelizaret; quia tamen nouella fuit Prouincia, & multis rarius consita indigebat cultoribus, meritò cum Apostolo dicendum videbatur: *Sunt qui per contentionem Euangelizant. Quid enim interest, siue per occasionem, siue per veritatem dummodo Christus annuncietur?*

Fuisse vero Gotebaldum virum sanctitate præcipuum, vel inde coniectare licet, quod nemo tum nisi quem deuotio singularis & martyrij cupiditas pellexisset, disseminandæ fidei se offerret labori.

De eo Adam. Brem. lib. 2. cap. 29. Cæs. Bar. Tom. 20.

FOL-

FOLQVARDVS
EPISCOPVS FLORVIT
ANNO CHRISTI 1010.

SERGIO IV. Pontifice.
Vacante Imperio.
ERICO VICTORIOSO Rege.



OLQVARDVS à Libentio I. Bremensi Archiepiscopo consecratus est Pontifex, Aldenburgi Vandalorum; verum Duce ac authore Mistiuoi coniuratione mota, Vrbe ad excidium vastata, atque acerrima in omnes Saxonici generis & Christiani nominis persecutio concitata. Folquardum quantumuis Dei zelo flagrantē, nullos in re bene cępta facere progressus permisit. Ergo vbi se diu frustra niti conspexerat, contendit in Sueoniam & Noruegiam, vbi iam tum populum accepit Dei verbo docibilem factum, quem sedulò, tam doctrinæ pabulo reficiēdo quam exemplorum ad pietatem incendendo facibus, eximio fructu plusculum temporis in hoc munere impendit. Et nihilominus propriarum ouium non immemor ad eas libens rediit pertentaturus, si forte iam inferēdi aduenisset tempus, adhibendæq; illius salubris curationis; at reuersus nihilo quā prius statum rerum reperit meliorem. Iamque dolore inde animo concepto cum in dies magis ac magis cruciaretur, accessione facta grauis ægritudinis corporis diē fæliciter clausit extremum. Sepultus Bremæ in Basilica S. Petri.

Mistiuoi Dux factiosus Aldenburgū deuastat & Saxones.

Folquardus in Sueciam & Noruegiam Christum prædicaturus se confert.

Redit ad suum Episcopatum Aldenburgensem.

De eo Adam Brem. lib. 2. c. 32. & 46. Abbas Stad. pag. 113. & 117. Crantz. in sua Metrop. lib. 3. cap. 43. & lib. 4. cap. 11.

GVNICHILDVS ET BERNARDVS EPISCOPI FLORVERE ANNO Christi 1025.

Joanne XX. Pontifice.
Vacante Imperio.
Erico Victorioso Rege.

Gunichildus & Bernardus Noruegiam Deo disponunt.



VNICHILDVS & Bernhardus Angli S. Olaum Noruegiæ Regem ex Anglia secuti, eundem primum populumque ei subiectum, monitu & doctrina salutari Deo disposuerunt: erant enim virtutibus & doctrina clarissimi. Deinde benigne ab Vnuano Archiepiscopo Bremen. Regia commendatione suscepti, & in Apostolico munere confirmati iussu eiusdē Regis ad Sueciam, Gothiam, & ad cæteras insulas quæ trans Noruegiam sunt accedentes concionibus suis in paganorum animis magnos motus excitarunt ac Regnum IESV CHRISTI in illis regionibus studiose propagarunt.

Vnuani Archiepiscopi iussu Suenones ac Gothos adeunt.

De iis Adam. Brem. lib. 2. cap. 40. Cæs. Bar. Tomo 11.

TVRGO-

TVRGOTHVS EPISCOPVS SCARENSIS FLORVIT ANNO CHRISTI 1027.

IOANNE XX. Pontifice.
CHVNRADO II. Imperatore.
OLAO II. Rege.

TVRGOTHVS Ramſolanus pietate ac literis cumprimis claruit. Vnde cum Olaus Rex Sueonum Gothorumque Chriſtianiſſimus, ab Vnuano Archiepiſcopo Bremenſi nouos pro grege Dominico paſtores peteret, Turgothus meritis ac virtutibus eius præclaris ita exigentibus in Epiſcopum ordinatus, ac in Sueoniam miſſus egregiè legationem ſuam in gentibus expediuit. Scarenſi Eccleſiæ ab Olao Rege nuper erectæ primus præfuit, duoſque Nobiles Gothorum populos, Chriſto ſuo lucratus eſt labore. Poſthæc apparatis ad reditum rebus, ingentia per eum Vnuano Archiepiſcopo direxit Rex munera, cum pietatis ſuæ, tum amicitiæ indicia. Beatiſſimus verò Turgothus pro labore prædicationis ſuæ Bremæ diu cum Archiepiſcopo conſiſtens, moleſtiſſima percuſſus elephantiaſi, diem depoſitionis ſuæ cum magna expectauit patientia, tandemq; bono fine conſummatus in S. Petri tumulatus eſt Baſilica, anno circiter Domini milleſimo vndetriceſimo.

Turgothus ab Vnuano Archiepiſcopo Sueonum Regi petenti miſſus.

Primus Scarenſi Eccleſia praeſt.

Vtramque Gothiam Chriſto adiungit.

Redit Bremam.

Elephantiaſi pie conſumitur.

De eo Adam. Brem. lib. 2. cap. 41. & 46. Abbas Stad. pag. 117. Crantz. in ſua Metrop. lib. 4. cap. 11.

VLFRIDVS MARTYR FLORVIT ANNO CHRISTI 1028.

Ioanne XX. Pontifice.
Chvnrado II. Imperatore.
Olao II. Rege.



Vlfridus ex Anglia in Gothiam profectus Christum prædicat.

Magna pro religione molitur.

Statuam saxeam maximi Deorum Thori confringit.

Multis ictibus interimitur.

ANno ab incarnatione Dominica vigesimo octauo supra millesimum ab Anglia profectus Vlfridus, Sueciamque Diuini amoris instinctu ingressus paganis verbum Dei magna cum libertate prædicauit. Cumque à multis prędicatione sua variarum superstitionum tenebras depulisset, eoq; etiam moliminis iam deuenisset, vt è tota Suecia extirpare sacrilegum errorem radicitus niteretur, dignum & optatum inuenit sancti martyrij exitum. Congregato enim pro concione populo frequenti, idolum gentis celeberrimum Iouis statuam (ab incolis Thore Steen dictum) anathematisare cœpit vociferans: *Si potens est vester* DEVS *Thor se ipsum vindicet:* & arrepta securi simulacrum in frusta concidit; nil quidem ab idolo passus, verum ab adstantibus mille petitus gladiis confoditur, frustatimq; concisus pœnas, vt illi aiebant, dedit violati vani Numinis; verius laborum suorum præmium purpura preciosa martyrum decoratus accepit. Corpus eius Barbari laceratum post multa ludibria in paludem vicinam demerserunt. Sed præclarè cum illo actum, qui vitam alioquin naturæ debitam in sacrificium Deo reddidit, cum victoriæ palma purpurato cęlitum choro adnumeratus.

De eo Adam. Brem. lib. 2. cap. 44. Abbas Stad. pag. 117. Crantz. in sua Metropoli lib. 4. cap. 8. Genebrardus in Chron. quo autem loco conditus, quoue honore, nondum constat.

S. OLAVS

S. OLAVS REX NORVEGIÆ ET MARTYR FLORVIT ANNO CHRISTI 1028.

Joanne XX. Pontif. Chvnrado II. Imper. Olao II. Rege.



Lavs Rex Norwegiæ, Olai Gottorum Sueonũq; Regis gener, Euangelicæ veritatis synceritate in Anglia comperta, Rothomagi ad Baptismi gratiam, deuota animi alacritate peruenit, lauacro salutari expiatus, ad proprium Regnum reuertit, multos secum ab Anglia duces Episcopos & Presbyteros, quorum monitis & doctrina cor suum Deo præparauit, subiectumq; populum ad regendum commisit. Sed & ipse nouo rerum ordine, Apostoli vice fungens, Christi gratiam passim omnibus prædicauit, innumerabilemque populi multitudinem Domino acquisiuit.

S. Olaus Rothomagi baptizatur.

Apostolos in Noruegiam adducit.

Ipse quoque Apostolum populis informandis agit.

Cæterum toto penè regiminis suæ tempore, continenter illi cũ Danorum Rege Canuto dimicandum fuit: Danis pro imperio certãtibus, Noruegianis vero pro libertate repugnãtibus, in qua re iustior erat causa Regis Olai, cui bellum necessarium magis fuit, quã voluntariũ. Si quando autem tempus à bellorum motibus quietum erat, Olaus iudicio & iusticia Regnum gubernauit. Inter cętera enim virtutum opera, inflammato honoris Diuini studio, eo vsque ferebatur, vt maleficos & veneficiorum monstris deditos, quibus cum totus Septentrio, tum præcipue Noruegia scatebat, è medio tolli animaduersione iustissima curauerit. Nam diuinatores & harioli Magi & incantatores, cæteriq; Luciphери Satellites sedem in Aquilone fixerant, quorum Satanicis præstigiis, & carminibus infelices animæ ludificabantur, & in exitium sempiternum trahebantur. Hanc hominũ pestem pientissimus Rex Olaus nauiter amolitus est, vt sublata offensionum & superstitionum caligine clarius in Regno suo religio Christiana elucesceret.

Cum Danis iuge bellum exercuit.

In maleficos & veneficos grauiter animaduertit.

Aliud non minus laudabile reliquit sanctimoniæ suæ documentum, die quodã Dominico feriis cogitationibus, vbi meditabundus intendit animum, baculumque quem forte læua tenuit cultello (vt solet cogitabundis accidere) descobsit, non satis aduertens quid ageret: ab adstantiũ quopiam admonitus per iocum potius quã seriò de violatione diei festi nõ leuiter in seipsum animaduertere decreuit. Memor quippe à sapiente prolatæ sententiæ *Per quæ quis peccat per eadem esse puniendum*, omnia illa segmenta ligni diligenter collegit, manuiq; suę imposita curauit incẽdi, vt à membro quod deliquerat pœnas exigeret. Hac seueritate in se vsus minime in alijs crimina cõtra legẽ Dei admissa dissimulare quiuit. Non ei parcebat qui in cõspectu oculorũ ipsius loqueretur iniqua, in matutino

Leuem diei festi violationem acriter in se punit.

In aliis peccata non dissimulat.

interficiebat omnes peccatores terræ. Vno verbo tabescere illum zelus
Æquitas illi odium parit.
ipsius faciebat Regē vt Israelis imitaretur. Vnde factum est vt multorū
in se concitauerit odia, & cum periculosissimo à Danis bello infestatus
A suis proditus in Sueciam defugit.
esset, proditus à suis fuga sibi cōsulere sit coactus. Atq; tum temporis in
Sueoniam cōtendit, vbi à Socero Rege Olao commeatu militaribusq;
A Socero iuuatur.
adiutus præsidiis, & spe certissima Diuinæ opitulationis erectus, totus
denuo ad maleficos idololatrasq; extirpandos, vires cōuertit, perfecitq;
cęlesti annuente numine (cuius est suos quando vult humiliare & suble-
Regno redditur.
uare, deducere ad inferos & reducere) vt & in Regnum à quo erat pulsus
restitueretur, & fortunā fauētissimam aliquantisper experiretur. Sic Rex
Denuo maleficos & Deastricolas amolitur.
Christianissimus, fortitudine in hostes, iustitia in suos celebris, obid prę-
cipue iterato regni possessorē à Deo effectū se credidit, vt deinceps nemi-
ni parceret, qui vel malas artes execrari nollet, vel Christianis sacris im-
Denuo suorum incurrit odiū.
bui detrectaret. Cū igitur persequeretur criminosos, neq; ab insectando
conuerteretur, donec deficerent, apud suos pro meritissima gratia, gra-
Noua conspiratio in S. Olaum.
uiora adhuc odio laborare cepit. Erant ex Regni sui Proceribus, qui in
gratiā Canuti Danorum Regis in Olaum coniurationē mouerant, vna
cū paucis ex residuis maleficis in vltionē eorum quos rex morte mulcta-
Hostes armatus operitur.
uerat. Quare postquā ad arma regem contra conclamatū esset, ipse cum
expedito exercitu non omnino imparatus, hostiū operiens aduentum
degebat in Castris. Accidit autem cum intentorio suo somnum caperet,
Insomnium S. Olai martyrio præludens.
vt hostium imminerent copiæ, tum à Principe militiæ expergefactus sic
cum affatur. *Vtinā paululum quieti adhuc indulsisses meæ, vt visionis quæ pan-
debatur exitum perspexissem. Scalam mihi adstare videbam, cuius vertex cœlum
ipsum pertingebat, meq; per illam conscendisse, & vsq; ad superi portas peruenisse
Regni, iam iamq; me illius adminiculo beata ascensurum palatia existimabā, ve-
rum hac subita interpellatione tua perculsus redire ad me cogor: absq; eo, vt quid
Dominus visu illo portenderet intelligerē.* Vix hæc effatus, ingruentib hosti-
A proditoribus obtruncatur.
bus proditus à suis, ab ijsq; in gratiā Canuti regis, ipsi Regnoq; ejus stru-
entis insidias latenter obtruncatus, de Castris tumultuū plenis ad tran-
quilla regis æterni migrauit palatia, Anno redemptionis nostræ Millesi-
mo vigesimo octauo. Corpus eius exanime vectum est Nidrosium (vul-
go Throndhem dictum Regni Metropolim ibique honorifico funere
Sepultus Nidrosii miraculis coruscans.
tumulatum. Declarauit autem Dominus crebris miraculis serui sui san-
ctitatem, vt inde colligere liceat, quanti sit meriti in cœlis, qui adeo ful-
get in terris. Rex oris omnibus aquilonis hodieque celeberrimus, cujus
singulari patrocinio vt se vicina Regna commendarunt, ita eodem su-
pra modum gloriantur.

De eo annales Suetici Noruegici & Danici, Adam Brem. lib. 2. c. 40. & in descr. Norueg. Abbas Stad. pag. 116. Crantz. Metrop. lib. 4. c. 8. Saxo Gram. lib. 10. Ioannes Magnus lib. 17. & 18. Cæs. Bar. Tomo 10. Martyrologium Rom. 29. Iulij.

GODE-

GODESCHALCVS EPISCOPVS SCARENSIS FLORVIT ANNO CHRISTI 1030.

Joanne XX. Pontifice.
Conrado II. Imperatore.
Olao II. Rege.



ODESCHALCVS Ramſolæ in Saxonia monaſticam profeſſus vitam inſtituti S. Benedicti, Beatiſſimo Turgotho in Epiſcopum Scarenſem ſuffectus eſt, à Libentio II. Archiepiſcopo Bremen. quo in officio cum aliquot præclare geſtis rebus tum vero prædicationis laude factus notiſſimus: quam ad tempus intermiſerat ab omnium ſæcularium ſollicitudinum ſtrepitu liber, clauſtrali vitæ ſe denuo addixit, ſuſceptoque cœnobii Lunæburgenſ. regimine, plurimis in eo perquam fructuoſe collocatis laboribus ſancto demum fine quieuit.

Godeſchalcus Scarenſis Epiſcopus.

Cœnobiticam vitā reſumit & Lunæburgenſe monaſterium regit.

De eo Adam. Brem. lib. 2. cap. 46. & 48. Abb. Stad. pag. 118. Crantz. Metrop. lib. 4. cap. 11. Hi tamen nullam renunciationis cauſam temporiſque in prædicando conſumpti determinationem adſerunt.

S. SIGFRIDVS EPISCOPVS VEXIONENSIS FLORVIT ANNO CHRISTI 1030.

Ioanne II. Pontifice.
Conrado II. Imperatore.
Olao II. Rege.

Ex Anglia petuntur praedicatores.

POST fata Erici victoriosi Gottorum Sueonumque sceptra Magnatum populique suffragio promeruit filius Olaus, pacis bellique artibus inclytus; Is Christianae religionis incensus studio, etiam Ethelredo Anglorum Regi confoederatus, legatione solenni expedita, praedicatores Euangelii ad se mitti petijt. Gauisus vehementer Ethelredus hac pia Regis voluntate, decreuit petitionem quantocius, optimo effectui mancipare. Coacto igitur in concilium Clero, edisserit propositum esse Suecorum Regi Olao, deinceps caelorum Regi militare, Christianaeque fidei iugo collum submittere: hortatur proinde vt ex suo numero, idoneos aliquot dilatādae fidei ministros eligant, qui labores & vitae pericula pro Christi gloria perferre sint parati. Tunc Beatus Sigfridus ex Eboracen. Archidiacono Episcopus ordinatus, regio vir genere, doctrina & authoritate illustris, videns ex triduano colloquio nullos vel certe paucos repertos fuisse qui se vellent tanto periculo committere, ipse sponte se ad eam peregrinationem obtulit.

Ethelredus Rex petitioni Olai lubens annuit.

S. Sigfridus se ad Sueciam excolendam offert.

Cū tribus nepotibus & S. Æschillo in Sueciā nauigat.

In Sacrificio missae Christus praesens visus.

Rex obuiam venienti processit & praedicanti credidit.

Igitur patria relicta superatis longissimis & periculosissimis maris itineribus, cum tribus nepotibus & Beato Æschyllo cōsanguineo suo peruenit ad Gothiam meridionalem, vbi nunc Cathedralis Ecclesia Vexionensis conspicitur: Quo in loco cum sub papilionibus, missae Sacrificium Deo offerret, à praefecto regio in eleuatione hostiae puerum visus est eleuasse. De cuius appulsu & miraculis Rex, ab eodem Praefecto certior factus, mox obuiam processit aduentanti, atque viro Dei verba salutis praedicanti credidit, ipse & omnis populus. Hac praeda Christo acquisita laetus Sigfridus, signa fidei Christianae quaquauersum per Gothiam protulit & vti fidelis seruus ac prudens talentum sibi creditum, non sine multi spe foenoris erogauit.

Nepotes S. Sigfridi crudeliter à paganis trucidantur.

Interea dum instituendis Ecclesiis occuparetur Venerabilis Pontifex Sigfridus, audit cum magno animi dolore tres nepotes suos Vnamannum, Sunamannum, & Viuamannum, quib. Ecclesiam Vexionensem commiserat occisos, spoliatos, & abscisis ceruicibus in stagnum vicinum proiectos esse. De quorum interfectoribus Rex dignum suppli-

cium

tium sumere constituit, sed benignissimus Pontifex, ne capite luerent, interpellauit, diuinitus omnem consolationem expectans. Nec Deus sancti sui expectationem hanc fefellit, cum enim quadā nocte circa stagnum Vexionensi Ecclesiæ contiguum mæstus & precabundus inambularet, à longe tria lumina per aquas ad se deferri cōspexit, quorum indicio vrnam in quam capita charissimorum neporum proiecta erant, in aquis inuenit, quæ adhuc cruore roseo perfusa contuitus dixit: *Vindicet Deus.* Cui mox ex capitibus vnum respondit. *Vindicabit*, alterum vero sciscitando subiecit, *quando*? Tertium demum dialogismum inamæno quidem veraci tamen omine ita conclusit. *In filios filiorum.* quod illæ parricidarum familiæ in hunc vsque diem suo malo experiuntur. Non tamen propterea Sanctus Christi Confessor, animum à Christi fide propaganda, & eius Sancto Euangelio annunciando remisit; sed indefesso studio nunc Gottos nunc Noruegos interuisens plurimosq́ue lucratus Ecclesiam Dei lætis passim reddidit floridam incrementis. Dehinc ad Libentium Archiepiscopum Bremensem se contulit, eique tanquam Apostolicæ sedis per Gotiam Sueoniamque Legato, debita facta subiectione narrauit, quāta fecisset Dominus in salutem gentium, quarum Christo se dicātium quotidie memorabilis accessio fiebat. Eum Archiepiscopus vt par fuit honorificè susceptum, donisque cumulatum, ad susceptam feliciter prædicandi Prouinciam denuo dimisit.

Orationi insistens capita nepotum totidem luminib. è cælo insignita reperit.

Pœnas sanguinis innoxii etiam num experiuntur parricidarum posteri.

S. Sigfridus nihilo segnius Christi vineā excolit.

Archiepiscopū Bremensem adit, & magnalia Dei in salute gentium commemorat.

Denuo ad messem redit.

Tandem post longos frugiferos labores, & continua sanctissimę vitæ studia, plenus dierum, ad Deum cui fideliter seruierat, migrauit, anno salutis humanæ circiter Millesimo trigesimo. Sepultus in Ecclesia Vexionensi, quam ipse Angelico visu monitus erigendam curauerat, multisq; miraculis clarus in sanctorum numerum relatus est ab Adriano IV. circa annum Domini 1158. Festiuitas eius celebratur 15. Februarii.

Plenus dierū è vita migrat.

Ecclesiam Vexionensem Angelica visione monitus extruxit, & in ea sepelitur.

De eo scriptores rerum Sueticarum, Adamus Brem. lib. 2. c. 40 & 46. & in descriptione Noruegiæ, Abbas Stad. pag. 117. Reuel. S. Brigittæ lib. 8. c. 46. Alb. Crantz. in sua Metrop. lib 4. c. 11. Ioannes Magnus lib. 17. Historia Gotticæ c. 18. & in sua Metr. lib. 1. Molanus & Canisius in suis Martyrologijs. Sed non vna est eorum opinio, de tempore eius in Sueciam aduentus & obitus. Certior omnium videtur Adami Bremensis, qui sub Libentio 11. eum floruisse & ad suam vsque ætatem superuixisse affirmat. Sunt etiam qui eum cum S. Olao Rege ex Anglia in Noruegiam profectum velint, atque inde in Sueciam penetrauisse.

OLAVS

OLAVS II. REX ET CONFESSOR FLORVIT ANNO CHRISTI 1036.

Benedicto IIX. Pontifice.
Conrado II. Imperatore.



INclytvs Rex Gothorum Sueonumque Olaus idemque Regni Apostolus, Erico victorioso Patre natus, matre Sigride quæ Daniæ postea Angliæque fuit Regina; iuuenis sceptra Regni suscepit, gentilitijs quidem erroribus implicitus, verum industriæ & summæ prudentiæ opinione apud omnes

Olaus Angliæ Regi confæderatus.

conspicuus, Postmodum Ethilredo Anglorum Regi, arcto amicitiæ fœdere iunctus erat. Quæ res occasionem illi dedit, Christianę legis Do-

A puero Christianismo propensus.

ctores per Legatos expetendi. Nam licet puer, multa de Christianis præclara audierat & viderat ipse, pijsque interdum intentus operibus, sacri baptismatis egerat candidatum; non prius tamen quam sui iuris factus Christo regenerari, & quod dudum animo conceperat fouere, nullo obstante perficere potuit.

A S. Sigfrido baptizatur.

Annuit pijs Olai votis facile Ethilredus: à quo missum S. Sigfridum Episcopum, dum prædicantem auscultaret Olaus, & Christo dedit manus, & baptismatis salutari lauacro initiatus est, quodam Vestrogotię in fonte, qui ob crebram præsertim in morbis curandis miraculorum coruscationem, ad hæc vsque tempora celeberrimus habetur, & à multis

Arcem regiam in templum conuertit.

qui valetudini suę consultum volunt frequentatur, vulgoque fons S. Sigfridi nūcupatur. Idem Rex mox arcem Husabij in magnificum templum & Ecclesiasticos vsus conuertit, quam Sigfrido & Christianis in stationem tutissimam assignauit, Deinde paternam in Dania ditionem

Suenottonem Regem Daniæ pellit.

prosecutus armis, iterato expulit Suenottonem. Qui variis bellicorum discriminum procellis, edoctus ad cor tandem redijt, & quia Dominus

Suenotto tandem resipiscit.

ipse esset Deus cognouit: ad quem integrè omnino conuersus vitę superioris errata salutari pœnitudine correxit. Tum vero etiā Deus misertus illius, obtinendę ipsi vel apud hostem gratię author fuit. Nam Olaus

Regno restituitur.

propinquitatis memor quę sibi cum Suenottone Victrico, matris inquam suę coniuge intercessit, illi Daniam restituit, ac de firmanda propagandaque in vtroque Regno Christiana lege pactum sanxit.

Olai ope Rex Daniæ Angliā subiugat.

Eius fultus auxilio Canutus Danię Rex Olai ex matre Sigfride frater, Angliam subiugauit & possedit. Interea Olaus pace ac bello per o-

mnem

mnem septentrionem clarissimus fideque relligiosissimus, subditos sibi populos ad Christianam traducere volens religionem, vt Vbsalię quę in medio Sueoniæ sita est idolorum demoliretur fanum, magno studio contendit. Hunc eius animum amentes subodorati incolæ huiusmodi vt inclinaret in sententiam persuaserunt: nimirum vt si ipse Christianus esse vellet optimam Sueoniæ regionem, quam diligeret suo iure teneret, in qua Ecclesiam & Christi cultum instituens neminem de populo violenter à Deorum cultu auerteret; illos tamẽ qui sponte nomina sua Christo dare percuperent inter Christianos censeret. Non repudiauit conditionem pius Rex ratus potentiorem inesse vim ad quæuis persuadenda etiam barbaris mentibus lenitati quam seueritati. Quare mox Sarensem in Occidentali Gottia Ecclesiam Deo sedemque fundauit Episcopalem, in qua petente Christianissimo Rege, primus ab Vnuano Bremensi Archiepiscopo Turgothus ordinatus est Episcopus, per quem Rex deinde eidem Archiepiscopo ingentia direxit munera. Duos præterea Rex filios suos cum vxore ac populo frequenti æternæ salutis fonte lustrari præcepit. Amundus maior natu Christiano more salutaribus vndis ablutus dictus est Iacobus: iuuenis quidem ætate, verum sapientia & pietate cæteris omnibus maturior: nec illo deinceps quispiam populo Sueonum gratior & acceptior, cuius etiam tempore late Christi nomen in Sueonia fuit amplificatum. Sub eius signis Rex Daniæ Sueno Estridis annis duodecim militauit.

Simulachra Deastrorum demoliri tentat.

Auertunt consilium Deastricolæ.

Lenitas Regi seueritate potior.

Scarensem Ecclesiam fundat.

Turgothis regendam tradit.

Archiepiscopo Brem. donaria mittit.

Regina & filii regis baptizantur.

Amundus Iacobi nomine dictus Rex factus insigniter Christianismum ampliauit.

Afflixere ea tempestate Ecclesiam Dei in oriente Sarraceni: quamobrem Benedictus Papa VII. cum ab aliis Orbis Christiani Principibus, tum ab Olao per litteras & Nuncios subsidia expetiit. Nec mora Olaus ad parendum summó fidelium Pastori & Antistiti paratissimus filius, subditis tributum imperat, exactum ad suam sanctitatem destinat, indeque cognomen apud Sueones sortitus Skatkonung. Tandem ætate maturus, pius Rex, Regno in pace constituto Ecclesia Dei propagata, omnib. charus, terrenum cum cęlesti Regno feliciter commutauit. Anno à partu Deiparæ Virginis tricesimo Sexto post millesimum Sepultus Lincopię in Ecclesia Cathedrali.

Saraceni Orientalem Ecclesiam affligunt.

Obedientia regis erga Sedem Apostolicam.

Tributum Pontifici mittendũ imperat inde Skatkonung dictus.

Obit.

De eo annales Suet. & Danici. Adam. Brem. lib. 2. cap. 28. 36. 40. & 41. Abbas Stad. pag. 116. Crantz. Metrop. lib. 3. cap. 44. & lib. 4. cap. 8. Reuelat. S. Brigitta in extract. cap. 27. Ioan. Mag. lib. 17. cap. 21. & sequen. Genebrardus in Chron. Cæs. Bar. Tom. 10. pag. 95. & 176.

ADAL-

ADALVARDVS SENIOR EPISCOPVS FLORVIT ANNO CHRISTI 1054.

S. Leone IX. Pontif. Henrico II. Imp. Emundo II. R.



Adalberti Archiepiscopi Bremen. vigilantia in cura pastorali.

Illesimo quinquagesimo quarto à natiuitate Saluatoris, anno Hamburgensem Archiepiscopatum administrauit Adalbertus Bauariæ Comes. Cuius administrationis initio mox vigilantissimus præsul ad Reges Aquilonis pro amicitia firmanda misit Legatos, Epistolas quoq; commonitorias per omnem sparsit, Sueoniam, Daniam, Noruegiam & vsq; ad fines Terræ, exhortans Episcopos & Presbyteros in illis partib. degentes, vt Ecclesiam Domini nostri Iesv Christi sanguine partam, prudenter in primis regerent, attenderent sibi & vniuerso gregi, atq; ad integerrimam conuersationem fideliũ pia cõuersatione seduli niterentur.

Emundus Rex Sueciæ nomine magis quam re Christianus.

Adaluardus Legatus & Episcopus in Sueoniam missus.

Osmundus Impostor.

Erat eo tempore Gottorum Sueonumq; Rex Emundus Iacobi frater, Olai Regis filius, nomine magis quam re ipsa Christianus, ad quẽ missi Legati è Bremensi Monasterio viri Religiosi quos inter Adaluardus olim Bremensis Ecclesiæ Decanus, tunc autẽ Sueonum genti ordinatus Episcopus. Inuenerunt hi apud Regem quendam impostorem Osmũdum, qui Apostolica ordinatione se fingens Archiepiscopum, non sana fidei doctrina sparsa neophytos à recta religionis semita deduxerat. Hũc prouincia exturbare nitentes Legati, Regem docent de Ecclesiastica Hierarchia, monentque de non auscultando vanis sermonibus hominis, vt minimum periculosi.

Effecit apud Regem Vanum vt legati contumeliose repellerentur.

Sed apud Regem vanitati magis quam veritati ac religioni deditum præualuit existimatio hominis popularis, qui suis technis perfecit, vt oratores cum contumelia repellerentur quasi Apostolici Domini destituti sigillo. Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro iusticia & veritate cõtumeliam pati.

Stenchilli pietas erga legatos Adaluardum & Simonem pulsos.

Sed inuentus est Regii sanguinis iuuenis Stenchillus, qui tam indigno modo repulsos Legatos prosecutus cum lachrimis, suppliciter eorum se orationibus commendauit, muneribus insuper eos affecit transmisitque per montana Sueonum saluos vsq; in Vestrogothiam ad religiosissimam nuper Daniæ Reginam Gude: quæ ingenti eos honore quasi à Deo missos excipiens magna per eosdem xenia Bremensi Archiepiscopo destinauit.

Vindicta diuina subsequitur, vtpote agrorũ sterilitas & aduersa bellorum fortuna.

Amundus quo.

Verum huiusmodi deinde post eiectos Episcopos sunt casus insecuti Sueones vt ex agrorum sterilitate, aeris intemperie & aduerso rerũ bellicarum successu, se non nisi diuina plecti vltione facilè intelligerent: Filius enim Regis Amundus nomine, missus à Patre ad dilatandum imperium veneno ab hoste fontibus insperso cum suo exercitu vniuerso con-

sumptus

sumptus est. Quamobrem ad se reuersi, vltioneque diuina frugis melioris commonefacti, quos ante reiecerant Oratores & Ecclesiastas, expeditis ad Archiepiscopum Adalbertum nuncijs reposcunt, inconsultæ repulsæ compensationem & Christianismi liberiorem propagationem liberalissimè pollicentes. Gauisus ergò Pontifex petenti gregi Adaluardum denuo præfecit pastorem; qui in Sueoniam vt reuertit, multũ Domino populum acquisiuit. Ex his etiam terræ finibus, in quibus nullus antea Euangelij Nuncius visus vel auditus fuerat. Nam Vermelandorum & Scritfinorum gentem integram Catholica fide imbuit. Virtutum etiam claruit miraculis ita vt poscentibus in necessitate incolis imbrem è cœlo oratione sua deuocauerit; & vicissim imbrium inundationem serenitate precibus conciliata sedauerit.

que filius Regis veneno periit cum vniuerso exercitu.

Sueci compuncti pœnitudine legatos demisse reposcunt.

Adaluardus iterum redit iubente Archiepiscopo.

Vermelandiã & Scritfinniã Catholica fide imbuit.

Imbres è cœlo poscentibus incolis deuocat.

Et rursus serenitatem conciliat.

Deinde à Rege Haraldo Noruegiæ dominante (Diui Olai Martyris olim Regis germanus frater is erat) inuitatus Adaluardus in Noruegiam nauigauit: & inter alia religionis officia, cum ad tumulum hominis ante sexaginta annos defuncti ab incolis perduceretur, Cadauerque adhuc integrum quasi eo die sepultum stupente populo spectandum exhiberetur: Episcopus in spiritu cognouit eum excommunicationis maledicto illaqueatum teneri. Erat autem is Sigfridus Piratarum Dux (vt liquido compertum habebant indigenæ) qui senioris Libentii tempore ditionem Bremensis Ecclesię populabundi incesserant, quos idem Pontifex anathematis gladio à communione sanctorum præciderat. Cumq; interposita prece Pontificis Adaluardi absolueretur, mox solutus in cinerem recidit. Abeunti Rex tantum pecuniæ dedit quantum trecentis Captiuis Christianis sufficit redimendis. Reuersus Adaluardus verè laudabilis vir vtramque Gothiam peragrauit, verba vitæ æternæ disseminans cõcionem erudiuit frequentem. Et sicut docuit, ita vixit; nam sancta opera sanctæ doctrinæ (quæ duo in Doctore vno nunquam secernuntur) coniungendo, gentilium multitudinem non exiguam Christi Castris adiunxit. In Gothia autem persistens & nomen Domini IESV constanter omnibus prædicando, ibidem post multos agones, quos pro Christo libenter sustinuit victricem terræ carnem tradidit, spiritus cælum petijt laureatus. Exequias eius funeri non sine lachrymis procurauit & exoluit Adaluardus iunior qui eo tempore in Gothiam appulit, quo senior mortali lecto decumbens extremam præstolabatur horam.

Iam diu ante defunctũ fuisse anathemate percussum in spiritu cognouit.

Absolutus defunctus à vinculo excommunicationis, mox cadauer in cineres resoluitur.

Captiuos trecentos liberalitate Regis redemit.

In Gothia animam Deo reddidit.

De eo Adam. Brem. lib. 3. c. 17. & lib. 4 in descriptione Sueciæ Crantz. Metr. lib. 4. c. 43. lib. 4. c. 33. lib. 5. c. 18. & in sua Suecia lib. 5. c. 11.

HENRICVS PEREGRINVS MARTYR FLORVIT ANNO CHRISTI 1055.

VICTORE II. Pontifice.
HENRICO II. Imperatore.
EMVNDO II. Rege.



ENRICVS peregrinus circa annum Domini quinquagesimum quintum supra millesimũ ad Sueones vlteriores mari Bothnico vicinos (incertum vnde) appulsus verbum fidei prædicatione sua propagauit, & cum strenuã aliquanto tempore in excolendis incolis nauasset operam, eorum partim errores partim vicia libera voce arguisset, palmã martyrii capitis obtruncatione meruit. Quo tempore Aluardus quidam apud Noruegos sanctimoniæ vir singularis sed latenter viuens, dum protegit inimicum, occisus est ab amicis. Ad cuius vtriusque sepulturæ locum, magna adhæc vsque tempora reddi sanitatis miracula populis declarantur.

Henricus in Bothnia Christum prædicans martyrio coronatur.

Ad eius sepulchrum crebra fiunt miracula.

Adam. Brem. lib. 4. cap. 16. Cæs. Bar. Tom. 10. vbi priorem forte per errorem Ericum nuncupat.

IOAN-

IOANNES EPISCOPVS FLORVIT ANNO CHRISTI 1055.

VICTORE II. Pontifice.
HENRICO II. Imperatore.
EMVNDO II. Rege.


OANNES prius dictus Hiltinus ex Abbate Episcopus consecratus, & ad insulas Sueciæ adiacentes ad Bircam ordinatus verbi DEI præco ab Adalberto Archiepiscopo Bremensi. Cæterum quæ in particulari egerit, quandiu in vinea Domini laborauerit, quo fine vitam clauserit, non liquet ex Annalibus. *Ioannes Episcopus ad insulas Sueciæ adiacentes missus verbi Domini præco.*

Adam Brem. lib. 4, cap. 44. & in descriptione Sueciæ Crantz. Metrop. lib. 5. cap. 18.

GVDA·SEV GOEDA FLORVIT ANNO CHRISTI 1055.

Victore II. Pontifice.
Henrico I. Imp.
Emvndo II. Rege.



VDA Regijs in Suecia orta natalibus, Ingonis III. Regis soror, eximiis naturæ ac fortunæ dotibus, fide ac in Deum pietate plurimum enituit. Postquam nubiles attigit annos Suenoni II. Regi Daniæ in matrimonio traditur; sed quia consanguinitate inter illos deprehensa, illegitimum probabatur matrimonium, summi Pontificis monitis, accensuræ Adalberti Archiepiscopi Bremen. tandem cessit Rex, & libellum repudii dedit consobrinæ.

Guda Regi Daniæ affini matrimonio copulatur.

Summi Pontificis monitis errore cognito toro Regis abstinuit.

Guda igitur ab illius thoro amota, reliquum tempus expers coniugij cum summa morum integritate traduxit, castitatemque votis professa cælibem vitam egit, abstinentia præterea nec non voluntaria corporis diuexatione illicitæ copulæ noxam, vt apud Deum siue ignorantiæ siue iuuenilis licentiæ veniam mereretur seuerius castigauit.

Cælibem vitã votis castitatem professa egit.

Cęterum quia nouerat quanti non solum meriti, verum etiam laboris apud Deum foret in carne pręter carnem viuere, sumptuosum de sua hęreditate quam habuit amplissimam in Vestrogothia extruxit Monasterium, suo de nomine appellatum Gudhemum. Quo in loco plurimas virgines ac fœminas ad complectendam conseruandamque cum animi puritate carnis integritatem inuitatas ipsa sanctissimis vitæ cęlestis exemplis & monitis ad omnem sanctitatem informauit, vnaque secum ad portum salutis æternę feliciter perduxit. Quin etiam circa eadem tempora furore gentilium è Suecia Confessores Christi expulsos Adaluardum Seniorem sociosque eius benignissimè collectos summa prosequebatur veneratione, quasi à Deo missos eorumque spirituali refecta colloquio, temporalibus vicissim refecit donis, ac per Daniam incolumes Bremam direxit, Archiepiscopo quoque Adalberto singulari munificentia, insignia per eos xenia transmisit. Exinde Gudhemum Christianis fluctuantibus portum statuit tutissimum, ipsaque miserorum Orphanorum & Viduarum quasi mater quædam communis effecta, omnium necessitatib. egregiè subuenit. Sed nec inerti otio tempus effluere passa est. Domi quotidiana consuetudine exquisita sacrariorum orna-

Gudhemum monasterium amplissimum de sua hereditate extruxit.

In eo plurimas virgines ac fœminas collegit & ad omnem sanctitatẽ suo exemplo informauit.

Adaluardum & socios Regno pulsos benignissime suscepit & liberalissime dimisit.

Archiepiscopo Bremensi Xenia transmisit.

Gudhemum fluctuantibus Christianis portum statuit.

Orphanorum & viduarum communis mater.

ornamenta opere Phrigio fingebat, acuque ſubtili pingebat inque eandem operam continuo reliquarum virginum labores inſumi volebat, intet quæ Chlamidem ſacerdotalem (pluuiale vocant) ſubtilibus ſigillis illuſtrem auro margaritiſque precioſis diſtinctam ac mirificis operis, arte rara elaboratam Roſchildenſi ſacrario doni nomine largita eſt. Alia quoque complura Diuini cultus inſignia, quà velandis altaribus, quà induendis ſacerdotibus, quà veſtiendis parietibus, qua conficiendis ſacroſanctis Myſteriis idonea operata eſt. Non tulit æquo animo hanc Sanctæ Gudiliæ ſiue laudis famam, ſiue virtutis pietatiſque gloriam, Suenonis pellex impia Thore, verùm offenſa, maximè furere cœpit ac vitæ Gudilæ inſidiari, quam ad extremum veneno per ſummum ſcelus ſuſtulit. Tumulata fuit Gudhemii in Monaſterio à ſe fundato ſuoque de nomine nuncupato.

Templa & altaria pretioſa ſupellectile exornauit.

Veneno ab impia Suenonis Regis pellice ſublata.

Gudhemii ſepelitur.

De ea annales Suetici & Danici Adam. Brem. lib. 3. c. 12. & 16. Abbas Stad. pag. 124. Saxo Gram. lib. 11. Crantz. Metrop. lib. 4. c. 33. Ioann. Magnus lib. 18. c. 10 Thomas Bozius de ſignis Eccleſia Dei lib. 21 c. 8.

ADALVARDVS IVNIOR EPISCOPVS FLORVIT ANNO CHRISTI 1056.

Victore II. Pontifice.
Henrico II. Imperatore.
Stenchilo Rege.

Solennis ſacrificiorum gentilium ritus nono quoque anno Vpſaliæ olim exhibitus.



ANno incarnati Verbi Milleſimo circiter quinquageſimo quarto, Stenchillo Gottorum Suenonumq; Rege, cùm gentiles Sueones pro veteri more Vpſaliæ (qui nonoquoq; anno repetitus) conueniſſent, ſolenni ſacrificiorum magnificentia ſuam in Deos religionem cultumque declaraturi; res contigit omni æuo memorabilis, omniumque oculis vſurpata. Quidam enim è ſacrificulis idolis adſtans & impios ſacrificiorum ritus peragens, nec quicquam iuuantib. Dijs ſubita cęcitate percuſſus concidit, cumq; vir ſapiens infortunium orbitatis ſuæ, culturæ idolorum meritò imputaret, quod ea ſuperſtitiosè venerans, verum vnicumq; Deum Chriſtianorum offendiſſe videretur; Ecce nocte ſubſequenti per viſum apparuit ei virgo decora nimis, voce perblanda, rogitans an in filium eius (quem manibus complexum oſtendebat) credere vellet, viſumque recipere abiectis quæ hactenus coluerat, ſimulachris? Tunc ille, qui nihil ardui lucis amore ſubeundum renueret, ita ſe facturum ſpopondit. Ad hæc Virgo: ſcito inquit certiſſimè hunc locum, qui nunc tanto innocentium cruore ſqualeſcit, ſub meo nomine breui dedicandum, eſſe: qua de re ne tibi dubitationis ſcrupulus vllus reſideat, in nomine Chriſti qui eſt filius meus, recipe lumen oculorum tuorum, quod amittere meruiſti. Mox ille luci reſtitutus, damnato ſuperſtitioſo cultu, Chriſtum profeſſus eſt, peragranſque quaquauerſum omnes regiones circumiectas, facili fide Deaſtricolis perſuaſit, vt eius religionem amplecterentur, qui tam benignè & facile cæco videndi facultatem reddidiſſet.

Sacrificulus ad aras impios ritus peragens cæcitate percuſſus concidit.

Beatiſſima virgo Sacrificulo pœnitenti apparet & vt in filium abiectis ſimulachris credat ſuadet.

Idolorũ templũ ſub ſuo nomine dedicandũ breui fore prædixit.

Cæco ſacrificulo viſum reſtituit.

Sacrificulus damnato errore Chriſtum quaquauerſum prædicat.

His miraculorum cauſis impellentibus, Adalbertus Archiepiſcopus Bremen. auſcultans voci quæ dicit: *Reſpicite & leuate oculos veſtros, quoniam regiones iam albæ ſunt ad meſſem.* Ordinauit ad Sigtunam tunc principem Regni Ciuitatem, & Vpſaliam Adaluardum Iuniorem de Bremenſi choro aſſumptum, virum litteris & morum probitate fulgentem, qui legatos Regis Stenchilli eadem de cauſa miſſos ſecutus Sigtunam peruenit. Hic ſemel rem Diuinam Sancto viro peragente, ſeptuaginta argenti marcæ ad altare vulgi liberalitate fuerunt oblatæ. Tanta videlicet religione populi Arctoæ plagæ in Diuinũ cultum ferebantur.

Sigtuna olim Regni Metropolis.

Adaluardus iunior Sigtunam peruenit.

Dum miſſæ ſacrificium peragit 70. argenti marcæ ad altare offeruntur.

Nam vix

Nam vix Christianus habebatur, qui nō quotidie quando ad S. Missæ sacrificium audiendum accederet, simul etiam ex sua substantia munus aliquod Domino deferret, memor illius præcepti: *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Magno igitur excitatus feruore Euangelii prædicandi Adaluardus, omnes qui Sictunæ erant, & in omni vicinia, breui temporis spatio Christo sacro fonte lustratos consecrauit. Conspirauit etiam cum Eginone Sanctissimo Sconiæ Episcopo in dirutionem fani percelebris & superstitioso cultu facile principis Vbsaliæ siti; rati simul se quidem hac occasione ad palmam martyrij peruenturos si successus voto non respondeat; sin secus, totam gentis conuersionem, barbaricę superstitionis sede præcipua sublata, facilius secuturam. Quam tamen confessorum Dei voluntatem piissimus Rex Stenchillus improbauit, veritus nō suum solum & ipsorum, sed etiam totius Christianitatis interitum, exemplo illo non absimili, quod paulò ante in Vandalia contigerat secuturum. Quare morem quidem gesserunt Regi, omnes tamen Gottorum Ciuitates peragrabant, idola quæ poterant confringebant & multa gentilium millia Baptismi sacramento expiabant.

Exodi 28.

Liberius deinceps verbum Dei annunciat.

Molitur dirutionem fani Vpsalensis.

Consilio Regis propositum suū mutat.

Gothica Idola confregit.

Multa gentilium millia baptismo expiabat.

Eo tempore Adaluardum seniorem ætate ac prædicationis labore fatigatum carnisq; solutum vinculis reperit iunior, cui iustis ritè cum luctu persolutis Sigtunam iterato properauit. Sed rerum Christianarum faciem diuersam ab illa quam prius reliquerat inuenit. Venientem quippè probris atque contumelijs exceperunt gentiles, ac demum virgis cæsum exilio damnarunt.

Adaluardi senioris funus illachrymans procurat.

Sigtunam iterato redit.

Ibidem virgis cæsus & exilio damnatus.

Sigtuna exactus, à Ciuitate Scarensi inuitatur excipiturque benignè, quod Archiepiscopo Adalberto displicuit; quippe suspicio illi iniecta quasi eò non inuitatus venisset, sed vltrò Ecclesiam inuasisset. Quare Bremam eum primum reuocat, deinde re probè comperta ex Synodo quam Slesuici indixerat omnibus Episcopis septentrionalibus, summo hominem complexus est amore ac beneuolentia, sed non licuit illi diuturna illius frui prudentia; non multò enim post ibidem cursum vitæ præsentis sanctissimæ finiuit, anno circiter 1068. quo defuncto subrogauit Archiepiscopus eidem quendam de Ramsola Tediconem, verùm hic propter ventris ingluuiem domi famelicus esse maluit quam foris Apostolus.

Scarenses exulem benigne suscipiunt.

Bremam ab Archiepiscopo reuocatur.

Vitam Bremæ sanctissime finit.

Adam. Brem. lib. 4. c. 43. & 44. & in descriptione Suecia Crantz. Metrop. lib. 5. cap. 18. Ioan. Mag. lib. 7. Hist. c. 15. & in suo Metrop. lib. 1.

SIMON II. EPISCOPVS ET MARTYR FLORVIT ANNO CHRISTI 1056.

VICTORE II. Pontifice.
HENRICO II. Imperatore.
STENCHILLO Rege.

Simon à teneris monasticã vitam professus.

Legationis socius Adaluardo datur.

Vbsalia post vincula, verbera & carceres pellitur.

Helsingorum & Scritfinnorum primus Apostolus.

Martyrio coronatur.

Miraculis post mortem claret.


IMON Episcopus prius dictus Stenphi quē alii Stephanum volunt appellatum in Monasterio Corbeiensi Saxoniæ ab adolescentia educatus & in diuinis legib. ita institutus, vt dignus haberetur qui supra candelabrum in domo Domini collocari posset. Igitur ab Adalberto Archiepiscopo Brem. socius Legationis Adaluardo seniori cæterisque ad gentes Sueonum Gottorumque conuertendas mittitur. In Sigtunensi Ciuitate ac tota vicina regione plurimos vexillo Christi aggregauit, mox Vbsaliam Regni Metropolim vbi idolorum simulachra superstitiosius quam in toto septentrione celebrantur adiit, indeq; post vincula verbera & carceres in exiliũ actus ad Helsingos & Scritfinnos sese conuertit, apud quos innumerabilem populum Christo acquisiuit, eorundem factus primus ac præcipuus Apostolus. Decurso autem tam laudabili stadio, martyrii brauium attigit. Sepultus in Norala Australiore parte Helsingiæ ad nostram vsq; ætatem signis & miraculis per Diuinam clementiam illustratus, cuius honorem & gloriam quantum potuit dum viueret illustrare conatus est.

Annales Sueti. Adam. Brem. lib. 4. in descriptione Sueciæ. Crantz. Metrop. lib. 5. 18. Ioan. Mag. lib. 12. Hist. c. 15. & in sua Metrop. lib. 1. Thomas Bozius lib. 4. de signis Ecclesiæ Dei cap. 1. Platus de bono status religiosi. In his autoribus occasio & genus Martyrij desideratur.

STEN-

STENCHILLVS REX FLORVIT ANNO CHRISTI 1060.

NICOLAO II. Pontifice.
Vacante Imperio.



TENCHILLVS Gottorum Sueonumque Rex piissimus, Olai Skatkonung ex sorore nepos, à puero synceriſſimus extitit Christianæ fidei cultor. Postquam verò adoleuit, animi ad eandem religionem addictiſſimi, egregia dedit specimina. Nam ingruentibus sæpe persecutionũ tempestatibus, sanctos Christi confessores ipse conquirere, atque vel domi suæ, donec meliora redirent tempora protegere, vel ad propria omni periculorum metu solutos nonsine lachrimis illorum se precibus commendans dimittere, solitus. Quin & furori gentilium pro Christianis defendendis murum sese fortiſſimum opponere in more habuit. Qua in re nullum sibi laborem grauem, nullam difficultatem molestam, nullũ acerbum periculum existimauit. Regiæ dignitatis amplitudine inauguratus, nihil omisit quod ad propagandum pietatem & religionem pertineret, præsertim illo miraculo, cæcitate percussi, sacrificuli ad aras Vpsalen: mirificè in fide confirmatus. Quamobrem Oratores ad Adalbertum Archiepiscopum Bremensem legauit, qui viros doctrina & sanctitate claros & ad resarciendam vel corroborandam in quibusdam, in multis verò etiam primum inserendam fidem Christianam idoneos postularent. Gratulabatur ei Archiepiscopus, tam incensum religionis studium, misitque de suis Episcopis & Presbyteris, viros opere sermoneque potentes, qui populo coram stupenda edidere miracula, in tantum, vt gentiles illis permoti, Rege in primis Christianiſſimo adminiculante, sua idola cremari facile paterentur. Stenchillus igitur partim iusticię obcultum, partim religionis, ob constantiam, charus omnibus, temporum promeruit suorum longam tranquillitatem, tandem non minus dierum, quàm meritorum plenus, vitę mortem consentaneā obiit, Anno Christi post millesimum sexagesimo quarto cælesti quàm terreno Regno dignior iudicatus, quippe qui se cęlesti Regi, tanta per omnem vitam fidelitate commendauit.

Stenchillus à puero syncere Christi cultor.

Confessor Christi Mecænas ac protector egregius.

Pro Christianis defendendis murum sese gentilibus opponit.

Oratores ad Archiepiscopũ Bremensem legat & prædicatores postulas & impetrat.

Plenus dierum ac meritorum obiit.

Teste eo annales Suetici Adam. Brem. lib. 3. cap. 16. & 17. libro 4. & 15. Abb. Stad. pag. 124. Crantz. Metrop lib. 5. cap. 18. & in sua Suecia lib. 5. Ioan. Mag. lib. 18. histor. cap. 9. & in sua Metrop. lib. 1. Huic Stenchilo tribuunt historiæ Sueticæ immanem quandam corporis molem, nec non Gyganteam fortitudinem, atque incredibilem sagittariæ artis industriam.

Gigantea molis ac fortitudinis.

INGO

INGO III. REX ET MARTYR FLORVIT ANNO CHRISTI 1063.

Alexandro II. Pontifice.
Vacante Imper.

Ingo Rex legũ obseruantissimus.



NGo eius nominis tertius Gothorum Sueonumq; Rex, nulli optimorũ Regum postponendus, quippe qui mores suos ad Diuinas & humanas leges tanta diligentia composuit, vt publico omniũ testimonio ipsum nunquã contra leges patrias deliquisse affirmaretur. Quo vitæ eius inculpatæ exemplo, complures ad Christianæ religionis amorem, morumq; integritatẽ allecti, cùm alios ad eandem spe honorum ac beneficiorum præmiis induxisset. Idem Æschili Sanctissimi Pontificis monita & cõsilia in omnib. secutus, qua pace, qua bello clarissimus; nã Rusios (alias Moschos) armis & religione domuit: Danos magna clade affecit, & Sconingiam Gothorum Regno auulsam multis bellis afflixit, ac tãdem Regno restituit, in qua etiam post multos pro fide Christiana & libertate Ecclesiastica impensos labores nocturnis insidiis à nefariis hominibus, qui eo sublato procliuem sibi in Diuina sæuiendi, & Christi cultum radicitus extirpandi futuram occasionem rebantur, trucidatus, terrena Regna cœlestibus cõmutauit. Anno circiter Millesimo Sexagesimo Tertio, apud Vostrogottos in Monasterio Varnhemensi honorificè conditus. Huius nõ tantum nominis, verum etiam religionis ac pietatis legitimus hæres, Ingo IV. Rex extitit, qui vtilitatis patriæ ac pacis publicæ, mirùm quantum auxit incrementa; In Wretensi Monasterio amplissimo Ordinis Cistercienfis, à se erecto & insigniter dotato sepultus, postquam ante diem propinata à perditissimis quibusdam cicuta esset extinctus, anno salutis millesimo centesimo duodeuicesimo.

S. Æschili monitis obsequitur. *Bello & pace clarissimus Moschos domat.* *Sconingiam Danorum inique possessioni eripit.* *Nocturnis insidiis trucidatur.*

Ingo IV. pari pietate Rex. WRetense cœnobium condidit. *Veneno extinctus.*

De eo scriptores rerum Sueticarum & Danicarum Io. Mag. Hist. Got. lib. 18. cap. 11. 14. & 15. & in sua Metrop. lib. 1. vbi Ingonem IV. obiisse anno circiter 1139. asseuerat.

S. ÆSCHIL-

S. ÆSCHILLVS EPISCOPVS STRENGENENSIS ET MARTYR FLOruit Anno Christi 1063.

Alexandro II. Pontifice.
Vacante Imperio.
Ingone III. Rege.



ESCHILVS Anglus Eboracensis Prouinciæ, S. Sigfridi consanguineus, à puero illecebris huius vitæ contemptis, totum se in amorem Dei transfudit. Legis Diuinę documentis instructus, de fluentis eius mellifluis auidè hausit, vnde multis postmodum salutis pocula propinauit. Ætate maturior factus, supremo instinctu Sanctum Abraham imitatus, exiit de terra sua & de cognatione sua, ac in Sueciam perrexit cum S. Sigfrido, cuius Capellanum agebat, certus tanto plus se appropinquare cælo, quanto longius propter Deum à solo paterno recederet. Creuit in ipso cum annis gratia, & cum ætate iusticia, & fecit omnia secundum exemplar quod ei in monte, scilicet in sancto Sigfrido virtutum speculo monstratum est, cuius vitæ sanctissimæ studuit esse imitator. Cumque Christianam fidem apud Gottos & Suecones indefesso animo prædicaret, bonumque omnibus odorem afflaret, apud Ingonem Regem omnesque bonos summam venerationem sibi conciliauit. Nec multò post omnium consensu in Episcopum Ecclesia Nordanskogh electus, à B. Sigfrido fuit consecratus.

S. Æschillus in Sueciam cum S. Sigfrido venit, eiusdem consanguineus & Sacellanus.

Fit Episcopus Nordanskogensis in Sudermannia.

Positus tanquam lucerna supra candelabrum, in Domo Domini magis ac magis omnibus qui ingrediebantur lumen diffundere curabat. Colebat in eo populus Christum tanquam iubar solis in montis vertice refulgens, multi eius concionibus inflammati fana cum falsorum numinum simulachris subuertere, lucos succidere, & noua vero Deo altaria erigere, fauente & adstipulante Rege Ingone. Sed ijs Christianę fidei incrementis inuidens Sathan quorundam peruersorum animos contra Pontificem ac Regem etiam ipsum concitauit. Quocirca nefarii homines collecto exercitu, Christianissimum Regem adoriuntur, victum & in fugam conuersum, Domino ita permittente, & aduersitatum temporalium occasione ęrumnas sempiternas redimente contrucidant. Dehinc vt olim populus Israeliticus, ne sub Dominio Roboam vbi erat templum & cultus veri Dei degeret, Regem sibi constituit Jero-

Fana & simulacbra eius hortatu subuertuntur.

In Episcopum & Regem nefarii Deastricola insurgunt.

Regem necant.

Ieroboam,cuius consilio Idololatræ effecti, pro legitimo numine vitulos adorauit. Sic isti parricidæ Principe Christianissimo sublato, hominem sanguinarium Suenonem nomine, àChristiana religione alienissimum suffecere, volentes Christiani cultus stirpem à radice. exscindere.

Sueno sanguinarius Regi subsituitur.

Proclamato igitur nouo Rege, confluxit multitudo infidelium Strengnesij Oppido, à cultu Idolorum percelebri victimas Diis suis libatura.

Stregnesisi sacrificium idolis instituitur, nouo Rege populoque præsente.

Aduolat quoq; ipse Rex paganus, celebritatem præsentia sua cohonestaturus. Producitur in locum sacrificij ingens boum ac ouium numerus, hostiæ illæ mactantur, adolentur, crëmantur, grande adornatur epulum, ad Maiestatem Regis & venerationem Deorum: de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum, fausta Regi nouo acclamatio, sublatis in cœlum vocibus increbescit. Consederat eo tempore Æschilus, apud Ecclesiam Forsensem, vbi de omnibus quæ fiebant certior factus, Diuino calore succensus, fortis Zelotes, velut alter Elias, indutus lorica iustitiæ, protectus scuto fidei, & arrepto gladio spiritus, quod est verbum Dei, cum Clericis suis ac paucis alijs ad Idololatras processit intrepidus, stansq; in media turba infidelium, arguit opportune, importune, quod Domini creatoris sui obliti, immolarenr Dęmonijs & non Deo: At illi vt aspides obdurauerunt aures suas, ne legem Dei audirent, sapienter incantantem aspernati. Porro cum cerneret Æschilus, se dictis nihil proficere, oculis ac manibus in cœlum leuatis, fide nixus, speq; erectus, Dominum inuocauit, vt faceret suæ ostensionis euidentiam: mox intonuit de cœlo Dominus, grandine, niue, & pluuia ex inopinato desuper effusa, aras immolantium subuertit: eum tamen Episcopum sanctum, ne vna quidem pluuiæ guttagrandinisue sphærula cõtigerit. Illi tamen non tam virtutem quam Deus in seruo suo declarauit, quàm id quod perpessi fuerant reputantes, rancore pleni, impetum vnanimiter in sanctum fecerunt Vnus caput eius lapide appetijt, alter securi sauciauit, semianimis in terrā collapsus, ibi aliquantisper in proprio volutabatur cruore. Lapis in quem decidit signum adhuc indelebile sanguinis effusi, ad perpetuam execrandi facinoris memoriam reseruat. Ac ne sine iusta causa perpessus Antistes videretur, quidam ex Nobili ordine arreptum, ad Regem pertraxerunt, magicis ipsum artibus ad Regis ac Deorum iniuriam ęra concitasse clamitantes. Quare tanquam in maleficum sententia mortis à Rege impiissimo lata, producitur extra vrbem in montem, ad quem postea Monasterium fratrum Prædicatorum erectum, ipso die quo hebdomadatim acerbæ necis Domini memoriā peragunt fideles, vbi ceu quondam Stephanus pro Zelo fidei ac defensione

Apparatus sacrificiorum.

S. Æschilus idololatras arguit.

Ara immolantium euertuntur.

S. Eschilus ab impiis obruitur.

Miraculosa memoria sanguinis eius in lapide.

Ad Regem vt veneficus pertrahitur.

Sententia mortis à Rege impio in eum fertur.

ſione veritatis lapidibus obrutus, exuta mortalitate in æterna commigrauit tabernacula. Anno Chriſti circiter Milleſimo ſexageſimo tertio, Iunij 12.

Lapidatur.

Fracto ſanctiſſimi corporis eius Mirothecio, odor fragrans variarum virtutum emanauit. Nam lampas de cœlo lapſa ſuper corpus ſancti viſa fuit cunctis admirationi & ſtupori. Chriſtiani igitur accurrentes corpus Martyris aſportarunt, volentes illud in Eccleſia Foren. ſepelire, ſed mira res venientibus ad locum qui Æſchiltuna dicitur, tanta denſitate nebulæ obſcuratus fuit aer, vt progredi eo die amplius nequierint: corpus quoque adeo ponderoſum portantibus effectum eſt, vt minime loco moueri potuerit. Eadem nocte reuelatum eſt ei, qui primus in eum lapidem miſit, eo loco in memoriam Martyris Baſilicam fore conſtruendam, quod & factum eſt. Tumulato igitur ibidem honorificentiſſime à fidelibus corpore, frequenti miraculorum coruſcatione cernere erat admirabiles animorum conuerſiones. Euadebant illius meritis de lupis oues, de perſecutoribus Eccleſiæ defenſores; de peccatoribus iuſtitiæ pietatiſque cultores, varij quoque diuerſis oppreſſi ægritudinibus, meritis ac precibus ſancti Martyris Æſchyli curati, præſtante Domino qui in ſanctis ſuis eſt benedictus, laudabilis & glorioſus in ſæcula.

Lampas cœleſtis corpus eius indigitat.

Miraculo ſepulturæ locus & oraculo demonſtratur Æſchiltunæ.

Eccleſia in memoriam martyris condita.

Miracula poſt obitum.

De eo annales Suetici & Anglici Fœlix Faber, de Apoſtolis & SS. Sueuicis Ioan. Mag. lib. 18. Hiſt. Got. c. 11. & lib. 19. Molanus & Caniſius in ſuis martyrologijs. Paſſionem eius nonnulli in annum 1026. alij in 1045. ſed perperam referunt. Vitam eius ac miracula conſcripſit B. Brinolphus Epiſcopus Scarenſis, quam nobis nondum videre licuit.

S. DAVID ABBAS ET CONFESSOR FLORVIT ANNO CHRISTI 1063.

Alexandro II. Pontifice.
Vacante Imperio.
Ingone III. Rege.

S. Dauid erogatis quæ habuit in pauperes Cluniacensem ordinẽ ingreditur.



Anctvs Dauid in Anglia nobilibus & Christianis parentibus natus, à puero in scientia, vitæ probitate, & charitate Christiana, proficiebat, adeo vt vniuersis quæ habuit in pauperes erogatis, ordinem Cluniacensem ingressus, in arctissima disciplina & abstinentia vitam duxerit. Hic postquam de sanctorum Martyrũ S. Sigfridi nepotum nece certior factus erat, cupiens & ipse Martyrij pro Christo particeps fieri, in Sueciam se contulit, atque ex consilio S. Sigfridi, apud Ecclesiam Sneuingensem in Vesmania (locus hodie Munkatorp dicitur) sedem fixit, vbi verbum Dei constanter annunciando multas iniurias & persecutiones perpessus est. Cum iam partim præ senio, partim ex frequentibus lachrymis, in oratione profundi solitis, oculi eius caligarent, radium solis per fenestram intrantem, forte conspicatus, & paxillum esse ratus, in eo Chyrotecas appendit, quas postea seruus vt afferret indigenti missus, in radio solis vt erant inuenit pendentes. Ad extremum vir sanctus, dierum & piorum meritorum plenus, ex hac ad vitam emigrauit æternam. Corpus eius suauissima odoris fragrantia omnes aduenientes mirifice recreauit.

Patriam martyris cupidus relinquit & in Sueciam venit.

A S. Sigfrido in Vesmaniam dirigitur, & in Munkatorp sedem fixit.

Miraculum.

Corpus demortui mirè fragrat.

De eo annales Suetici & vetusta Breuiaria 15. Julij.

GNI-

GNIPHVS FLORVIT ANNO CHRISTI 1066.

Alexandro II. Pontifice.
Vacante Imperio.
Halstano Rege.


TENCHILO Rege Christianissimo vita functo, noua iactauit Christi Ecclesiam aduersitatis tempestas, duobus Ericis de Regno ac successione iure inter se decertantibus, quo bello grauissimo status omnis Regni mutatus, Christique fideles locis exturbati suis, incertis vagabantur sedibus. Eo tempore Gniphus Sueonum Satrapa, siue deficientibus Episcopis siue temporum calamitate domi desidere coactis, populum magna ex parte in ritu Catholico retinuit, nutantesque firmauit. *Gniphus Satrapa Christianos in religione firmat.*

De eo Adam. Brem. lib. 4. cap. 15.

AMVNDVS REX FLORVIT ANNO CRISTI 1070.

Alexandro II. Pontifice.
Vacante Imperio.

Pertinax idolomania superstitio etiam Regibus grauis.



MVNDO Regnum multis nominibus debebatur, Verum cum Idolum Vbsalense tum pertinaciter colerent incolæ, vt Reges etiam suos Christi mysteriis initiatos adigerent, statis temporibus solennia saltim sacrificia sua præsentia condecorare, vel certè munera delubro illi destinare, alioquin ni id facerent, regni amissionem subuereri debebant. Tantus Amundo inerat religionis ardor, tanta retinendi propositi cõstantia, vt maluerit Regno quam Christo spoliari, & odium suorum imo exilium sustinere, quam sacrilegio fidem suam polluere. Ibat itaque gaudens à conspectu cõcilij, quoniam dignus habitus est pro nomine Christi abiici, & Regno destitui. Verum Diuina disponente bonitate, quæ despectus sui causa susceptos non cælestibus modo sed frequẽter etiam terrenis remuneratur honoribus; non multò post pulso Halstano, populi suffragio reuocatus, Regnum quod prius vitandi gratia sacrilegii contempsit, recepit. Cui persimile quid in Romana Repub. accidit. Prout enim Valentinianus pro Christi nomine Tribunatu quem gerebat à Iuliano deiectus, pulso fugatoq; exturbatore suo meruit imperium obtinere: Ita planè Amundus, Regnum quo se religionis amore exuit, ne sacrilegus euaderet, vnanimi populi consensu reuocatus, eidem restituitur. Cum regnasset aliquandiu, nec de pristino more iusti æquique nimium tenax, quidquam remisisset, facile sopita cõtra eum resuscitata sunt odia, iterumq; regno depulsus, secessit in abditum, optatæ quieti locum commodum, non minus honesto ocio quam laborioso negotio assuetus, vir pro geminato Regni contemptu, pluribus Regnis dignissimus.

Amundus Rex regno maluit exui quã Ethnica superstitione pollui.

Valentinianus deiectus Tribunatu fit Cæsar.

Amundus reuocatur.

Odiis iterum suorum cedit.

De eo Adam. Brem. lib. 4. in descriptione Sueciæ, Alb. Crantz in sua Suecia lib. 5. cap. 12. & 15.

EGINO

EGINO EPISCOPVS FLORVIT ANNO CHRISTI 1072.

ALEXANDRO II. Pontifice.
Vacante Imperio.
HALSTANO Rege.



NNVS erat à Christo nato millesimus sexagesimus, quo Adalbertus Archiepiscopus Bremen. legationem Ecclesiæ suæ longe lateque in Prouincias septentrionales protendebat, magnificentiusque quam prædecessores sui, potentiam Archiepiscopalem exercebat. Nam cum seipso legationem obire cogitaret sedulo, si quam nec dum Christo subiectis gentibus posset afferre salutem, aut iam subiectis addere perfectionem, hortatuque Suenonis Danorum regis, ab incepto desisteret, quod gentes illæ facilius possent per suæ nationis homines ac linguæ persuaderi; largitate primum reges sibi deuinxit: dehinc in messem ordinatos Episcopos, qua prece, qua precio conciliatos religiosos, impigrosq; ad prædicandũ gentibus verbum Dei reddidit. Cumque cuiuis Prouinciæ suum præfecisset pastorem, Sconię Gothis proximæ obtigit Egino vir prudens, honestus, litteris apprime instructus, castitateq; insignis, cuius ardens studium in animabus ad Euangelium pertrahendis enituit. Multos ille populos simulachrorum cultui deditos, per Baptismi regenerationem peperit, illos prętertim qui Blechingi dicuntur, & qui in Bornholm Insula degunt, qui omnes concionibus eius incitati, feriam erroris sui detestationem, atque non vulgarem partim lachrymarum vbertate, partim spontanea Idolorum suorum comminutione, palam testabantur. Quin etiam Thesauros & cimelia quæ recondita habebant, ad pedes Episcopi deferentes, vt ea dignaretur accipere flagitabant; Verum ille continentia fuit adeo singulari, vt nulla oblatorum cupiditate caperetur, nec quicquã præter victum ab eis acceptaret. Docebat potius ex ea pecunia fabricandas esse Ecclesias, egenos alendos, & redimendos captiuos, quo hominum genere partes illæ affluebant. Fertur idem

Adalbertus Brem. Archiepiscopus Christianismo in septentrione propagando inuigilat.

Egino Sconinganus Episcopus.

Blechingi cum Bornholmensibus sacris Christianis initiantur.

Dona respuit Egino.

E 3 vir

Scarensem Ecclesiam pastore orbam interuisit.

Idolum Veneris concidit.

Vtramq; Sconiæ diœcesim administrat.

Lundæ Episcopalis sedes constituta.

Dalboensis Præpositura.

In demolitionem Fani Vpsalensis conspirat.

vir sanctus tyrannide in Succos Christianos sæuiente, Scarensem Ecclesiam cæterosq; Christi cultores, eo quod pastore carerent, frequenter visitasse, iisque afflictis magno solatio fuisse, errorum adhuc tenebris inuolutos, luce veritatis illustrasse. Ibi etiam famosissimum Veneris (Friga dictæ) simulachrum in frusta concidit. Hæc & his similia virtutum insignia, magnum illi apud Regem Danorum honorem conciliarunt, cuius opera vtramq; Sconiæ Diœcesim, scilicet Lundensem & Dalboensem gubernandam suscepit. Qui mox Lundæ sede Episcopali constituta, apud Dalboiam quoque Præposituram fratrum regula vinctorum instituit. Conspirauit etiam cum Adaluardo Iuniore Episcopo, vt pariter celeberrimum Deastricolarum templum Vpsalense adorirentur, certi hoc labore Christi gloriam, vel maxime promouere, ibi omnia tormentorum genera parati subire, dummodo adhuc illa quæ Barbaricæ superstitionis caput erat pessum iret. Illa enim vel solo æquata, vel flammis abolita opinabantur fore, vt totius gentis conuersio sequeretur. Quam Confessorum Dei voluntatem piissimus Rex Stenchillus, è populi suggillatione ac rumusculis colligens, prudenter labefactauit, asserens & illis ex eo consilio mortis exitium subitum, & sibi depulsionis è Regno periculum imminere. Deniq; hac occasione Christianos etiam ipsos Pastoribus amotis, facilè posse ad veterem superstitionem relabi. Eiusmodi Regis piissimi persuasionibus instructi Episcopi, pium hunc impetum suum inhibuerunt. Gothorum interim Ciuitates peragrarunt, & à cultu simulachrorum multa incolarum millia, ad Christi religionem addduxerunt. Itaque duodecim annis in sacerdotio laudabiliter exactis, sanctissimus vir Egino à Romana regressus vrbe, quamprimum ad propria peruenit; quasi patriæ reseruatus, feliciter migrauit ad CHRISTVM, Anno videlicet Saluatoris septuagesimo secundo supra millesimum.

Pium impetum Rex prudenter inhibet.

Multa millia Gothorum Egino cum Adaluardo conuertit.

Romam adit.

Moritur inde reuersus.

De eo Adam. Brem. lib. 4. cap. 44. & in descript. Sueciæ & Daniæ. Crantz. Metrop. lib. 5. cap. 18.

CANV-

CANVTVS REX DANIÆ ET MARTYR FLORVIT ANNO CHRISTI 1087.

VICTORE III. Pontifice.
HENRICO III. Imperatore.
HALSTANO Rege.



CANVTVS Suenonis filius summis naturæ dotib. cumulatus, præsagio in hominũ opinionibus præclarè indolis ingenerato animo ætatem prȩcucurrit. Quippè manu collecta myoparonum piratica monstra perdomuit. Sembicis & Litonicis illustrem trophæis adolescentiam egit, nouisq; virium gradibus paterni roboris fundamenta trãscendit. Quȩ victoria futurum eius dominium portendebat Suenone defuncto, Regiȩ successionis delectũ anceps popularium sententia pertractabat. Maior namque Danorum pars Haraldum natu maiorem, ocij cupidior complexa, Canutũ respuebat, ignauiq; Regis potius quàm fortis maluit parere imperio. Soli Sconienses animo affecto, melius partibus Canuti, eius probitatis gnari, fauebant, Haraldi desidiam respuebant. Porro Haraldus plerosq; fraternæ partis fautores, per quosdam subornatos in gratiam suam sollicitandos curauit. Ita à Canuto vulgi animos partim spes, partim metus auertit. Ipse deficientibus à se copiis, tribus duntaxat rostratis nauibus in angustissimas Scanici maris fauces elabitur, Regno carere iussus cuius ipse incolumitatem protexerat, & terminos iam non mediocriter auxerat.

S. Canutus adhuc iuuenis piratas domat.

In Regem à Sconingis electus, à cæteris Danis reiectus.

Canutus ergo Sueoniam fugibundus intrauit, vbi à Rege Halstano benignè susceptus, eiusq; auxiliarib. copijs instructus, perinde ac si nullis à fratre fuisset lacessitus iniurijs, inracta patria bellum in Russos & orientales terras, superstite etiamnum patre inchoatum feliciter prosecutus est. Interim Haraldus biennium emensus defungitur. Quo mortuo Canutus paternis suffragiis in Regni fastigium reuocatus, bellum quod adolescens inchoauerat, iuuenis prosecutus erat, iam Regno sublimatus finiendum putauit. Nec ante manum ab incæpto retraxit, quam Curetum, Semborum Estonumq; Prouincias funditus delesset. Deinde sublato hoste, de statu coniugali cogitatione suscepta, Ethlam Roberti Flãdriæ Comitis filiam accepit in vxorem. Cumque magnarum insolentia solutos hebetatosq; prisci iuris neruos aspiceret, omnibus ingenii modis ad reparandam patrii moris disciplinã connisus, probatioris iustitiæ cultum seuerissimis edidit institutis. Non sanguini, non necessitudini, non authoritati, quo minus iusti viri numeros expleret, quidquam conce-

In Sueciam fugibundus venit.

A Rege Halstano excipitur eiusque ope bellum inchoatũ in Moscos prosequitur.

Mortuo fratri in Regno succedit.

Curlandos & Estones subiugat.

Roberti Flandriæ Comitis filiam vxorem duxit.

Mores corruptos Patriæ corrigit.

Ecclesias donarius illustrat. dendum putauit;Nec Regnum modo purgare, sed Ecclesiam quoque quatenus licuit illustrare contendit;Supellectilem & ornamentum templorum,Regia munificentia auxit:atis ac ædibus sacris stipendia prouidit,Pontificum honori consuluit.Hi quippe cum à rudi populo,non illo quo par erat loco haberentur, Rex non ignarus illos Christi & Apostolorum in terris vices gerere,inter Proceres locum perinde ac Ducibus eisdem lege decreuit,vt essent cõsilio intimi,&authoritate proximi. Nec solum Pontificibus dignitatis incrementa donauit, sed etiam priuatorum Clericorum ordinem benignissimis decretis locupletare studuit, quantumuis sacrorum Canonum & Imperialium legum sanctionibus, iam suis ritibus suisque Priuilegijs & exemptionibus, satis fuisset communitus. Institit deinde Rex optimus decimarum ius Ecclesijs persoluendarum populo persuadere,sed propositi irrita suasio fuit,apud insuetum eius rei populum, præsertim quod Regijs exactionibus & multis expeditionibus quas poscebat militia grauaretur. Per ea tempora Sueno Roschildensis Episcopus,templi primarij extructionem,à Gulielmo inchoatam ad finem vsq; perduxit. Cuius illustrandi gratia Coronam Regiam, non minus artificio, quam impensis operosissime elaborari curauit,in eoque inter alia ornamenta Canutus appendit,sapienter ratus Regias opes potius sacrorum splendori, quam humanæ auaritiæ seruire oportere. Egino quoque Dalboensis Episcopus, iisdem ferme temporibus opitulante Rege, Laurentianæ ædis inchoatum à se opus explicuit, Cuius dedicationis imminente die, singularem Rex perliberalis munificentiam declarauit. Ipso namque dedicationis Festo, solenniter altaria veneratus, quartam Regij numismatis, quartam suæ in Ciues exactionis, quartam æstiui census portionem, non præsenti modo Antistiti, sed eius etiam successoribus, quicunque pro tempore loci Antistites extiterint, muneris loco perpetuo iure possidendam concessit. Itaque non minorem in edendis templorum priuilegijs, quam præstandis beneficijs authorem egit.Et vt legibus suis æternitatem conciliaret, eas conuellere conaturos, antistitum execrationi subiecit. Sed aliquando animum eius aduertit paterni auunculi, Magni Canuti insignis gloria, & longe lateque protensum imperium, recolensque quantum ab eius memoria Danicis rebus decessisset, animum ad Angliam armis recuperandam adiecit. Re igitur cum Olao fratre primum communicata, deinde popularibus aperta, alacrem omnium concordemque assensum retulit. Sed quem Rex sibi fraternæ charitatis vicissitudine respondere crediderat, latenter æmulum comperit.Olaus enim ambitione Regni stimulatus,pietatis erga germanum oblitus,perfidissimi pectoris habitum,summa fidei simulatione tegebat. Et ne solus insidias volueret, lecta socie-

Clero stipendia prouidet.

Episcoporum honori consulit.

Ecclesiasticos priuilegiis munit.

Decimarum ius populo frustra suadet.

Templum primcepi Roschildense perficitur.

In eo coronam Regiam appendit Rex.

D. Laurentio ædes dicatur.

A Rege varie locupletatur.

Priuilegia Ecclesiæ voluit perennia esse ac inuiolabilia.

Angliam armis recuperare tentat.

Fratrem sibi infidum experitur.

tate

tate clandestinæ coniurationis cætum instruxit. Canutus imperata classe, Limicis oris appellitur, diuque fraternum præstolatus aduentum, nauigandi cunctatione exercitus alacritatem imminuit. Nam Olaus nouas quotidiè prætexens tarditatis rationes, veniendi moram in dies extraxit, vt vel Regem sine eo proficiscentem Regno priuaret, vel tarditate suspensum exercitu destitueret. Nec eum callida consilij ratio fefellit. Nam breui tota fermè à Rege classis tædio affecta, illius expectatione defecit. Tandem de fratris perfidia certior factus, classe tantisper suum reditum opperiri iussa, Slesuicum vnà cum lectissima manu festinato contendit, ibique fratrem inopinatum & attonitum intercepit, productum deinde conuictumque grauioribus quidem pœnis memor cognationis abstinuit, vt tamen securitati, quâ suæ, quâ Regni proui-deret, in Flandriam sub custodibus asseruandum relegauit. Deinde occasionem melioris rei natam arbitratus, mulctam quam potuit optimo iure coniuratis irrogare, in Decimarum solutionem cogitauit retorquere. Sed pientissimi Regis conatus exitum inuenire non potuit. Dani siquidem illam Decimarum solutionem, non religionis indicem, sed suæ ignominiæ testem diuturnum esse arbitrati, annuam frugem alienis dependere constanter recusarunt, potiusque graui ære admissum perfidiæ crimen semel mulctari, quam semper libertate spoliari, satius esse dixerunt. Hanc deterioris conditionis partem Rex à populo vniuerso approbari vt intellexit, simulata pecuniæ exactione, colligendæ pensionis quæstores instituit, mulctæ nomine decimatum religionem astruere cupiens. Sed cum administri mandatum immitius quam iussi fuerant exequerentur, à multitudine, æmulorum Regis hortatibus, concitata omnes ad vnum trucidati. Nec eorum cædibus satiata, in Regem quoque vesania prorupit. Rex impetum opportune sua ratus absentia declinandum, Slesuicum concessit, ibique conjugem cum filio relictam, si res forte sinistre cessissent, referre se in patriam iussit, nullum inter perfidos præsidium habituram. Ipse interim imminentibus Iuthis quo tutior secessu foret Fioniam petijt, inde tamen exactus in Sielandiam migrare statuerat, cum Blacco quidam primam ipsius familiaritatem adeptus, insimulatæ fidei consilio fugam dehortatur, se interim acta speculaturum, blanditiasque iræ ejus oppositurum promittit, qui tamen inita legatione conciliandæ gratiæ loco, odium Regi impensius struit, ac deinde reuersus amicitiam simulans, pacatiorem populi animum fraudulenter nunciat. Rex sacrorum solemnijs assuetus, nequid religioni præponeret, Albani ędem sacram pro se deprecaturus accedit: militum etiam Regis non contemnendus numerus accurrit, Regis periculum auertere si quod impen-

deret,

Dolus fraternus.

S. Canutus classe destituitur.

Fratrem insidiosum capit inque Flandriam ablegat.

Decimam clero annuam pendendam mulctæ loco coniuratis imponit incassum.

Quæstores Regis trucidantur.

Regi cædes intentatur.

Rex furori se subducit.

Blacco Regis proditor.

Rex Sacris interest.

deret, aut si minus id posset, vna mori paratus. Benedictus frater Regi semper aderat, Ericus non longè in alia æde reclusus expectabat quid fieret, cum infinitam hominum multitudinem paucorum manus sustinere non posset, cumque referandę sacræ ædis in qua Rex orabat, nemo

Blacconis impietas.

præsumeret audaciam, Blacco malorum incentor, larua Sycophantiæ detracta, apertum proditorem agere non erubuit, quippe frementem multitudinem, in ipsum templum inducere est ausus; verum nunquam

Punitur.

proditorum impunitas diuturna, in ipso aditu trucidatus, meritas partim in Regem perfidiæ, partim impietatis in religionem pœnas luit. Benedictus quoque frater fortissime pro Rege dimicans occubuit. Ericus

Rex Sacramentis se ad mortem præmunit.

per medios hostes vix saluus euasit. Rex interiori sacrario conclusus, sacræ pœnitentiæ munus impleuit, tum Christiano ritu confessus, sacrisque munitus expansis ante aram brachijs, fati securus ictum lethalem recepit. Dum namque victimę more prostratus, percussorem expectat,

Lanceæ ictu confoditur.

immissę per fenestram lanceę mortifero iactu confossus, pium mortis sacrificium suo conditori obtulit, telis deinde crebris petitus corpus immobile tenuit, nec ante loco quo cubabat excessit, quā feretro mandaretur extinctus, sane ad coarguendam parricidarum malitiam occisi

Necem S. Regis fames ingens in Regnō secuta.

Regis merita Deus miraculosis prodidit argumentis. Tanta quippe frumentorum inopia Daniam inuasit, vt maxima populi pars alimentorum inops inedia consumeretur, nec prius fœcunditas agris restituta,

Pœnitentia populi destitit fames.

quam populus ad cor reuersus, iustè se nouem frumentorum partes amisisse testaretur; qui decimam ex eis Deo & Dei ministris reddere detrectasset. Obijt autem Rex sanctitate, & iustitia incomparabilis Anno

Rex Sanctorum Catalogo adscriptus.

Domini Millesimo octuagesimo septimo, decima Julij, Sanctorum Catalogo adscriptus, à Stephano primo Vpsalensi, & Æschyllo Lundensi Archiepiscopis, iussu Alexandri III. Pontificis.

De eo annales Suet. & Danici Saxo Gram. lib. 13. Hist. Ioan. Mag. lib. 18. cap. 12. & 14. Alb. Crantz. in sua Dania lib. 4. cap. 35. 36. & 37. Surius & Martyrol. Rom. 7. Ianuarij.

S. BOT-

S. BOTVIDVS MARTYR

FLORVIT ANNO CHRISTI 1100.

PASCHALI II. Pontifice.
HENRICO III. Imperatore.
INGONE IV. Rege.



LORIOSVS Christi Martyr Botuidus, in Regno Sueciæ Prouincia Sudermaniæ honestis sed infidelibus parẽtibus natus, cum adhuc iuuenis esset, ne ad fruges consumendas videretur in lucem editus, negotiationis causa in Angliam profectus fuerat, vbi à quodam sacerdote singularis doctrinæ & Sanctitatis viro, hospitio exceptus, non solum mysteria fidei Christianę didicit, verum etiam gratia baptismi accepta, in disciplina vitæ, & perfectionis Christianæ egregie institutus est. Reuersus in patriam gaudens, vt quondam felix ille Eunuchus, à Philippo Diacono baptisatus, multos Ciues suos exemplis virtutum & salutaribus exhortationibus, ad eandem religionem adduxit, Domino cooperante, & sermonem confirmante multiplicibus signis. Cum enim die quadam sanctus cum familiaribus suis & vicinis ad capturã piscium progressus fuisset, & à possessore loci illius Bouino retia laxare prohiberetur, nisi quartam piscium partem sibi promitteret; pacatus vir malẽs illico cedere, quam inanibus litigijs tempus extrahere, ad propriam insulam, quæ in eodem stagno erat perrexit, & postquam in genua procubuisset, orationemq; ad Deũ supplex fudisset, famulis vt retia mitterent imperauit. Vbi quanta vis eius orationis fuerit, Dominus euidenter ostendit, siquidem tãta piscium multitudo extracta est, vt duo lembi impleti fuerint. Quod vir Dei cum aduertisset, ad suos conuersus, Laudemus Deum inquit, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, qui etiam hoc munus nobis immeritis est largitus. Illi vero qui circa Bouini possessionem tota nocte frustra laborarunt, virtute miraculi quod D. Botuido acciderat, permoti ad virum sanctum properant, & obtenta ab eo licentia, simul & benedictione cymbas quoque suas piscibus replent solo Bouino nihil in captura proficiente, iusto Dei iudicio, vt qui æmulatione minus æqua alteri inuidisset, ipse sui fructu laboris careret. At Botuidus iniuriarum prorsus immemor, tam Bouinum quã cæteros omni beneuolentiæ significatione complectebatur. Qua sua lenitate & humanitate editique miraculi fama, tantum profecit, vt facili negotio verbis illius persuaderentur, sacramentoque Baptismatis initiati Christo consecrarentur.

S. Botuidus dũ in Anglia negotiatur Christianus euadit.

In Sueciam redux multos Christo lucratur.

Miraculum in captura piscium.

S. Botuidus iniuriarum immemor pro malo bonum reddit.

Contigit

Sclauum redemptum libertateque donatum in Patriā reducit. Contigit autem vt Sclauum quendam quem à captiuitate redemptum ad gratiam Baptismi adduxerat, & libertate donauerat per Gothiā reditum in patriam parantem suā, securitatis causa magna charitate deduceret. Deducere autem eum statuerat in Gothlandiam, vt inde facilius ad propria remearet, Sed defatigatus itinere, ad insulam Roggoe applicuit, vbi cum post labores, ieiunia, & orationes consuetas ad Deum factas, sub arbore quadam nihil metuens quietem caperet, ab eodem ingrato homine, securi propria crudeliter trucidatus, coronam iustitiæ à Domino iusto iudice consecutus est. *Ab eodem in insula Roggoe occiditur.* Cum vero parentes & familia Botuidi, propter diuturnam eius absentiam, nimium affligerentur, ac aliquid illi humanitus ea in via euenisse suspicarentur, inito consilio quærere ipsum per deuia syluarum, & maritima decreuerunt. *Quæritur anxie à suis.* Congregata igitur multitudine propinquorum, vna cum Presbytero quodam pio Henrico nomine, cuius hortatu Dominum deprecabantur, vt quonam loco is versaretur, & si minus fortè viuum, saltem defuncti corpus ostendere dignaretur: Finita oratione, auem quandam candidam proræ nauis insidentem, & quasi ad se allicientem conspiciunt, quam velut itineris sui ductricem à Deo submissam rati, saluo ductu ad locum vbi corpus iacuit peruenēre. *Auis candidæ ductu corpus eius reperitur.* Quo magna omnium lætitia reperto, Deo immortali qui in sanctis suis semper est mirabilis, laudes & gratiarum actiones tulerunt, & in patriam delatū, secūdo Stocholmia miliari Sudermaniam versus honorificentissimè tumularunt. *Sepelitur in Botuid-Kyrchia templo ei dicato.* quo loco templum in honorem Martyris extructum, & ipsius de nomine Botuid-Kirkia appellatum est. Anniuersaria eius memoria die 28. Iulij peragitur. *Gratiam Reuelationum S. Brigitta impetrauit.* Hic in cœlis tanti apud Deum meriti vt S. Brigittæ cœlestium reuelationum, cum alijs sanctis, obtinuerit gratiam.

De eo annales Suetici & Breuiaria antiqua Reuelat. extrauag. S. Brig. c. 72.

TOR-

TORSTENVS MARTYR FLORVIT EODEM CIRCITER TEMPORE.

TOrstenvs nobilis viri cuiuſdam in Veſtrogothia Bubſequa in more habuit permiſſis libere armentis per loca compaſcua & nemora errare, ad quoddam ſaxum quod aræ loco habuit precibus Chriſtiano ritu vacare. Cumque inibi totum ferme diem moraretur, nocte appetente armẽta ſemper ſalua & integra reuertebantur. Aſtu Heri tamen, cui religio Torſteni vtpote gentili diſplicuerat, taurus (quẽ ipſe in ſylua clam ad arborem ligarat) deſiderari viſus: vnde anſam armentarium calumniandi nactus, ipſum ad ſaxum tanquã Chriſti victimam mactauit. Nec impune ſcelus ceſſit, ſiquidẽ ſenſim pecora interire cæperunt, adeò vt coniunx maritum incuſare, & interemptum non dubitauerit ſanctum prædicare. Forte tunc lanienam fecerat herus, & bouem futurum eſcam familiæ mactatum excoriatumq; ante ſe habebat. Quo tempore queribundam cõiugem Torſteni laudes proſequi, ſe vero probris impeti audiuit. Verum cachinnis dicta eius excipiens, in has voces prorupit. *Tam* inquit *Torſtenum tuum quem ſanctum & in cœlis viuere exiſtimas, plane ita viuum credo, prout hunc bouem quem in fruſta cædendum conſpicis.* Mirum dictu vix verba finiuerat, cum è veſtigio bos in pedes ſe erexit, viuus ſtupore omnibus qui adſtabant attonitis. Quare ſacellum in loco eodem erectum multaque miracula præſertim in pecorum curatione patrata.

Torſtenus Chriſtianus hero Ethnico ſeruit.
Aſſidue ad ſaxum Deo preces fundit, pecoribus ſemper ſaluis.
Mactatur ab hero ad idem ſaxum.
Pecora ſenſim hero in pænam intereunt.
Beatus & innocens ab hera prædicatur martyr.
Miraculum in boue dilaniato rediuiuo.
Sacellum ei dicatum vbi miracula fiunt.

De eo Scriptores nonnulli rerum Sueticarum.

BOTILDIS REGINA FLORVIT ANNO CHRISTI 1102.

Paschali II. Pontifice.
Henrico III. Imperatore.
Ingone IV. Rege.



B. Botildis nubit Regi Daniæ. *Pellicibus prafertur.* *Iniuria patiens.* *Amasiis Regis obsequia præstat.* *Rex in Palestinam peregre iter suscipit.* *Eum Botildis subsecuta.* *Hierosolymis moritur.* *Sepulta in valle Iosaphat.*

BOtildis in Suecia nobili genere orta Patre Turgoto, seu Trugillo, Auo Vlphone Gallonis, ob formam ac morum præstantiam Erico II. Daniæ Regi matrimonio copulata, raræ atque admirandæ patientiæ exemplo, singulariq; moderationis beneficio posteritati insignem nominis sui cõmendauit memoriam. Cum enim Rex cæteroquin laudatissimus, vinculi coniugalis pertæsus, pellicum teneretur amoribus, Botildis tantam mariti insolentiam inuicta sustinuit mente. Nam puellas quas ab eo adamari præsenserat, ne clarissimum Principem turpitudinis reum ageret, cum alius modus malo medendi nullus occurreret, maternæ dilectionis officiis prosequebatur: eoque se demisit, vt & propriis eas manib. exornaret, & ancillæ ad instar deseruiret. Itaque non solum mariti flagitium dissimulatione texit, sed etiam odium merentibus amoris sui raptricibus obsequiis gratiam compensauit. Dehinc religiosæ peregrinationis suscepto proposito, Rex terram Palestinam diuinæ dispensationis memoria Venerabilem adire constituit. Nec deses Botildis ad consectanda mariti studia animus fuit, quem quidem eodẽ voto, quamuis diuiduo toro secuta, profectionis meritum pudicitia cumulauit. Cæterum iter longũ ingressa, multis terra marique peruictis difficultatibus, vbi tandem Hierosolymam attigit, votumque læta compleuit, diem clausit extremũ. Sepulta in valle Iosaphat Anno salutis Millesimo centesimo secundo, quo anno Ericum quoque in Cypro vitæ ac peregrinationis labor absumpsit.

De ea Saxo Gram. lib. 12. Helmoldus in Chron. Sclauorum.

S. RA-

S. RAGNILDIS REGINA FLORVIT ANNO CHRISTI 1120.

CALISTO II. Pontifice.
HENRICO IV. Imperatore.
RAGVALDO Rege.



ANCTA Ragnildis ab infantia in Dei timore ac animæ puritate enutrita Ingoni quarto Regi coniugio copulata, sic carnem ieiuniis ac vigiliis macerauit, sic animum precibus ac cæleſtium rerum contemplatione exercuit, vt vitam in terris Angelicam traduceret. Vere pauperum ac ſeruorum Dei mater, ſtudioſiſſima, cui nulla ex omnibus cura impenſior fuit, quam egenis ſubuenire, religioſos fouere, templa ac ſacella ornare, fidem denique ac pietatem per ſui Dominii vicos & oppida quaqua verſum longiſſimè propagare, quibus Chriſtianæ charitatis officiis vitam perpetuo tenore exercens, ad cœleſtia gaudia ſenio confecta migrauit, Sacrum corpus eius Telgæ depoſitum eſt, atque in ſumma veneratione ad noſtra vſque tempora ob frequentem miraculorum innouationem ab omnibus piis incolis eſt habitum.

S. Ragnildis carnis edomãde ſtudioſa.

Mater inopum.

Sacras ædes ornat.

Obit æui matura & meritis.

Telgæ ſepulta vbi miraculis claret.

De ea Io. Mag. Hiſt. Got. lib. 18. c. 14. & in ſua Metr. lib. 1. Iacobus Ziglerus in deſcriptione Scandiæ & alii ſcriptores rerum Sueticarum.

MARGARETA REGINA FLORVIT ANNO CHRISTI 1130.

INNOCENTIO II. Pontifice.
Vacante Imperio.
MAGNO I. Rege.

Margareta Daniæ Regi nupta.



ARGARETHA Ingonis IV. pientissimi Regis ac Helenæ filia, Nicolao Danorum Regi matrimonio sociata, cultus Diuini fuit studiosissima, & in Ecclesiis dotandis ornandisque liberalissima,

Ecclesias dotat & ornat.

Diuinarum enim ædium opes, non solum latifundiis auxit, sed & totis viribus ad augendum eorum splendorem incubuit, sacerdotalisque cultus inopiam, exquisito ornamentorum genere locupletauit, Enimuero quo rem Diuinam ornatiorem efficeret, altarium pallia, sacerdotum amicula, vestem sacrificalem, toralia, sacrorum vasorum apparatum, & reliquam Ecclesiæ supellectilem affatim comparare, atque sacrorum vsibus munificè impendere studuit.

Dissidiorum reconciliatrix.

Nepotum suorum insidiosam rabiem consilio temperare, ac disciplina trãquillare sciuit. Ad extremum letifero morbo ad vltimam penè rabiem redacta, dum in prouidenda patriæ pace, propinquorumq; concordia sarcienda, solerter versaretur piis defessa operibus sancto fine quieuit.

Sancto fine quieuit.

De ea Saxo gram. lib. 13. Crantz. in sua Dania lib 5. cap. 6. & 9. Ioan. Mag. Hist. Got. lib. 18. c. 14. & alij Scriptores rerum Sueticarum.

S. HEN-

S. HENRICVS EPISCOPVS ET MARTYR APOSTOLVS FINLANDIÆ
FLORVIT ANNO CHRISTI 1150.

EVGENIO III. Pontifice,
CONRADO Rege Rom.
S. ERICO Rege.



EGNANTE in Suecia Sanctissimo Rege Erico, Venerabilis Pontifex Henricus, ex Anglia oriundus vitæ sanctitate & morum honestate clarus Vpsalensem regebat Ecclesiam. Quibus quasi duobus luminaribus, populus illius terræ illustrabatur, ad veram Dei noticiã cultumq; magis ac magis incendebatur. Sanctus autem Rex insignem Pontificẽ vita, moribus & Ecclesiasticæ dignitatis culmine præpollentem, intimi amoris cõplectebatur affectu, & peculiari familiaritatis gratia honorabat. Felix patria quam Diuina Maiestas concesserat, talium ac tantorum rectorũ moderamine sub idem tempus gubernari. Nullus tunc suberat metus, ne Regnum in se diuisum desolaretur, dum ad gloriam Dei & iustum trãquillumq; regimen subditorum prima populi capita tanta consensione animorum conspirabant. Prouehebatur tum crescens in timore Dei Ecclesia, corrigebantur leges, quas vel antiquitas minus rectè condiderat, vel peruersitas malignorum obliquauerat, paci & iusticiæ subditorum dabatur opera, lupi rapaces dentes venenatos in oues insontes acuere minus audebãt, cum Rex æquissimus sedens in solio, solertia sua omne detrimentũ à Repub. auerteret, & bonus pastor super custodiendo gregi suo sedulo inuigilaret. Quum vero gens Finlandiæ, tũc à vero Deo aliena, incolis Sueciæ grauia damna frequenter inferret, Sanctus Ericus Rex assumpto secum Beato Henrico Vpsalensi Episcopo, collectoq; exercitu cõtra nominis Christi & populi sui inimicos expeditionem instituit. Quibus facili negotio Rege cœlesti terreni Regis pietatem prospe-rante, fidei Christi & suo dominio subiugatis, & fundatis ibidem Ecclesiis, Rex quidem in Sueciam cum gloriosa victoria redijt. Beatus vero Henricus vineæ Domini recenter plantatæ culturam & custodiã suscepit. In tanta quippe pastorum penuria, animatum zelo, honorisque Diuini cupidine succensus, seipsum obtulit vt teneros Christo nuper ex aqua renatos filios educaret, foueret, ad maturitatemq; perduceret, nulla pericula reformidans, nulla metuens aduersa. Tantus fidei seruor, tantus ardor Diuini amoris, altare aureum cordis deuotissimi Pontificis accenderat, vt postpositis Diuitiis, amicorum solatiis, sublimi Vpsalensis

S. Henricus natione Anglus Vpsalensis Episcopus.

A Rege amatur & honoratur.

Felix tum tẽporis Suecia, in cuius commoda Rex cum sacro Præsule conspirauit.

Finnones infesti Sueonibus.

S. Ericus suo & Christi eos subiecit imperio.

S. Henricus Finlandorum Apostolus.

Ecclesiæ præsulatu, pro pauperum & paucarum ouium incolumitate, multis se mortis periculis exposuerit, illius imitatione pastoris, qui relictis nonaginta nouem ouibus, in deserto, vnicam errantem requisiuit, & inuentam ad ouile propriis impositam humeris deportauit.

Ab homicidij reo Ecclesiastica censura contemptore necatur. Tali igitur ædificationi & confirmationi Finlandorum Ecclesiæ prudenter ac feliciter insistenti Henrico, accidit vt quidam homicidii reus ad eum deferretur, quem ob ipsius facinoris immanitatem, cum Ecclesiastica disciplina coercere vellet, vir ille sanguinarius, salutis remedium aspernatus, in iustitiæ ministrum suæque salutis studiosum præsulem manus iniecit violentas, ipsumq; crudeliter trucidauit. Sic sacerdos Domini, acceptabilis hostia, diuinis oblata cõspectibus, occumbens pro iustitia templum supernæ Hierusalem cum gloriosi palma triumphi intrauit. *Vltio diuina in occisorem sancti.* Cuius sanctitatem Deus celeri vindicta, quæ impiũ patricidam consecuta est illustrauit Nam sicarius ille sancti Pontificis pileum suo imposuit capiti, reuersusq; domum de commisso flagitio sese iactitans, quod Vrsum prostrasset, per hoc sancti viri necẽ designans lętabatur, cum malefecisset & exultabat in rebus pessimis. Verum ita diuina virtute pileũ capiti eius adhæsisse comperit, vt suo illum vertici nequierit detrahere, nisi cutem pariter & carnem auelleret. Congrua profectò diuinæ vltionis vindicta, vt in vertice capitis tali pœna miserabiliter torqueretur, qui non est veritus verticem Ecclesiæ Christum Domini truculenter impetere, & occisum spoliare. *Miraculum post obitum.* Defuerat corpori sancto digitus annularis, per sicarium illum nefarie dum promiscua vulnera infligeret amputatus, nec facile propter niuium copiam (brumali enim tempore scelus commiserat) etiam adhibito studio reperiri poterat, verum ineunte vere, niue circumquaque & glacie resoluta, indicio corui crocitantis volucris alioquin cadaueris nimium appetentissimæ, vt huius miraculi vis maior effulgeret proditus, ac religiose de terra sublatus & asseruatus est. *Mortuus precibus S. Henrici reuixit.* Illud quoque sanctitatis eius celebre argumentum, in VillaCaysalum percrebuit. Deploratum iam & depositum filium mœsti parẽtes tumulo mox inferendum comitabantur, cum admoniti patrocinium B. Henrici vt implorarent, ac vitam mortuo flagitarent, quamprimum id facere sunt aggressi sospitemà tumulo reduxerunt. *Alia mortua.* Filia Antonij de Banio defuncta à parentibus deplorabatur amarissimè, verum ad inuocationem S. Henrici vitæ subito reddita fuit.

Tertia. Æditus quidam cum frustra pro primogenitæ decumbentis salute compluribus sanctis vota fudisset, per visum monitus S. Henrici vigiliæ ieiunium, & ad sepulchrum eius peregrinationem vouit, quo facto puella non viua modo, verum etiam sana surrexit.

Mulier per triennium languore graui detenta, ſancti opem implorauit & ſine mora conualuit. *Triennalis morbus depulſus.*

Alia contractione pedis laborans, peregrinationem ad ſancti reliquias vouit & ſanata fuit. *Contracta ſanatur.*

Similis peregrinationis voto ſoluto, alia item mulier, cæcitatis caligine per annum integrum percuſſa, viſum recepit. *Cæca illuminatur.*

Frater quidam Ord. Min. concionator, ſexennio dolore capitis vehementi afflictatus, voto viſitationis ſepulchri S. Henrici nuncupato, dolor omnis abſceſſit. *Capitis dolor ſexennis imminutus.*

Complures ſocij ad capturam phocarum mare ingreſſi, tempeſtateque grauidiu iactati, voti beneficio maris tranquillitatem impetrarunt & naufragium euaſerunt. *Mare ſedatur.*

Gudmundus quidam famulus D. Alnenſis, in Veſtrogothiam negotiorum cauſa ab hero miſſus, & à Presbytero quodam hoſpitio exceptus, cum cœna peracta ad memoriam S. Henrici (quod genti moris eſt) poculũ propinaſſet, ſubridens Presbyter, *Experiar inquit in me lubens eius vim ſi is ſanctus eſt.* Et ecce inſequente nocte, graui corporis dolore ac tumore cruciari cæpit: Mox animum ſubiit irriſio paulo ante facta. Pœnitentia igitur ductus, Gudmundum accerſiuit, veniam petijt, & vouit ſtato ieiunio ſeſe vigiliam B. Henrici omnibus diebus vitæ ſuæ veneraturum, moxque diuini viri meritis liberatus eſt. Multis præterea beneficijs ad memoriam eius & inuocationem exhibitis, vitæ morriſque Henrici innocentiam, ac ſanctitatem Diuina bonitas eſt teſtata. Sepultus eſt autem in loco Finlandiæ qui Nouſis dicitur, cuius cenotaphium plurimum illuſtrauerat Epiſcopus Abogen. Ioannes Petri Stub. An. D. 1370. caput tamen & brachia Abogiæ viſuntur, nunc ferro, olim etiam argento incluſa, per Epiſcopum Abogenſem Olaum Tunaſan. *Tumor ac dolor corporis mitigatus.*

De eo ſcriptores rerum Sueticarum & Anglicarum, Ioan. Mag. lib. 19. *Hiſtor. Gott.* [illegible]. *Molanus & Caniſius in ſuis Martyrologijs. Thomas Bozius lib.* 4. *de ſignis Eccleſiæ Dei, cap.* [illegible] *Baron. Tomo* 12. *pag.* 375. *Vitam hanc cum miraculis adnexis, ex antiquo manuſc. codice Rubræ vallis in Belgio deſumpſimus. Martyrium ſubijt anno ſalutis* 1150. 19. *Ianuarij & relatus in numerum Sanctorum, ab Adriano IV. Anno* 1158. *quo tempore Abógia facta eſt ſedes Epiſcopalis, ab eodem Pontifice, cum antea fuiſſet Eccleſia Renclamichenſis primaria.*

S. ERICVS REX ET MARTYR FLORVIT ANNO CHRISTI 1160.

Alexandro III. Pontifice.
Friderico Barbarossa Imperatore.

S. Erici coniux Christina.



Clarissimvm Regni Sueciæ lumen Ericus Iaduardi nobilissimi parentis filius, ab ineunte ætate in timore Domini educatus est. Christina deinde Ingonis Regis filia, Philippi nepte, in vxorem accepta, factus est cum ea omnibus præclarum virtutis exemplar, ita vt Regno vacante, patriaque in maximis periculis constituta, à Principibus terræ & omni populo magno consensu in Regem electus, ac pro more gentis apud Vpsaliam, in Regni solium honorifice sublimatus fuerit.

Cura S. Erici tripartita. *Cultus diuini amplificatio.* *Pacifica gubernatio.* *Hostium extirpatio.* *S. Henrici Episcopi consiliis dirigitur.* *Ecclesiam Cathedralem Vpsaliæ perficit.*

In Regali igitur throno constitutus, probe intelligens, collatam potestatem non tam immunitatis maioris occasionem, quam, sollicitudinis secum onus ferre, imitatusque sanctorum veteris testamenti Regum exempla, totam suam curam trifariam dispertit. Primas cultus Diuini dedit amplificationi, Ecclesiarumque ędificationi: secundas ijs quę ad populi pacificam gubernationem, iustitiæque administrationē pertinebant: postremas hostium tam fidei, quā Regni extirpationi. Ad quæ feliciter perficienda, diuina prouidentia nactus erat sanctissimæ vitę & summę eruditionis virum Beatum Henricum Episcopum Vpsalensem, iuxta cuius consilia & pias exhortationes pius Rex omnem vitę suę cursum, ex Diuino pręscripto religiose ordinabat. Vpsalensem itaq; Ecclesiam, ab antiquis Regibus suis sanctis progenitorib. fundatam, & ex parte ędificatam, primo ac pręcęteris aggressus, opere magnifico ac plane Regio consummauit, diuiniq; cultus ministros inibi liberaliter dotatos

Clerum dotat. *Obit Regnum.* *Mala Reipublica auertit.*

constituit. Deinde Regnum perlustrans populi statum inspexit, via Regia incedebat, nec ad dexteram declinans, dum nullis fauoribus nullisq; labefactari largitionibus, nec ad sinistram deflectens, dum neq; timore, neq; odio à recto tramite dimoueri se fineret. Proinde tali Reipub. administrandæ seruato tenore, rixarū incendia exorientia ne porro gliscerent extinguebat, inueteratas inimicitias sequester componebat, ab iniuria vel cæde tenuioribus inferenda deterrebat, recte in via Dei ambulantes diligebat, impios & refractarios proscribebat: æqua iustitiæ lance vni-

Iustitiæ tenax.

cuique eius suum distribuebat. In omnes autem adeo clemens ac benignus extitit, vt tertiam mulctarum partem quæ ad Reipub. fiscum ex iure

iure pertinebat, sibi oblatam recusaret acceptare, diceretque suos sufficere sibi reditus, illi quæ oblaturi erant saltem ad vsum posterorum suorum seruarent. In orationibus porro, ieiunijs, eleemosynis, ac vigilijs freques erat, carnem spiritui subijciendo, iugi attriuit cilicio, quod ad hæc vsq; tempora regali eius intinctum sanguine, in Vpsalensi reseruatum fuit Ecclesia. Apud eum inopes, infirmi, ærumnosi & qua cunque calamitate afflicti præsentissimum semper solatium, & subsidium inuenerunt. Ieiuniorum festisque anni totius diebus, à coniugali thoro prorsus abstinuit. Quin etiam submolestas libidinis faculas, sæpe glaciali vsus aqua extinguebat, & belluinos carnis motus seueritate in seipsum animaduersionis cohibebat.

Tributum recusauit.

Religioni ac liberalitati in egenos deditus.

Cilicio carnem domat.

Inopum & afflictorum refugium.

Continentia eius.

Carnis stimulos vt cohibuit.

Postremo in Finnones non Regni magis quam fidei Christianæ pertinacissimos hostes, qui continuis incursionibus damna Sueoniæ incolis inferebant, expeditionem suscepit, eosque exercitu valido collecto cum inducias Christianæ pacis aspernarentur, nō modo Sueonum, sed Christi etiam imperio victor adiunxit. B. Henrico Vpsalensi Episcopo libentissimè illis fide Christiana imbuendis relicto.

Finlandiam Christo & suo Regno victor adiecit.

Cumque tanta potitus victoria, orationi quam æque in aduersis atque in prosperis tanquam optimam moderatricem adhibere solitus, totum se dedisset, atq; cū lachrimis ardentissimas preces effudisset, a quodam familiarium suorum cur fletibus eo tempore lætitiam exigente vacaret rogatus; suspirio ex imo pectore ducto; *Gaudeo quidē* inquit *& rerum Dominum de concessa nobis victoria glorifico: verum tot interfectorum animas, vt veri numinis ac luminis expertes ad inferos deuolutas, quis dignis prosequatur lachrimis? qui si sacramenta fidei percepissent ad salutem fuissent perpetuam reseruati.* Superatis itaq; hostibus reliquum terræ populū conuocauit, & pace data fideq; Christi prædicata, Sacro baptismo tinctis, pluribus fundatis Ecclesijs, constitutoq; ibidem pastore S. Henrico, cæterisq; quæ ad religionem Christiani cultus pertinebant rite ordinatis, in Sueoniā duplici triumpho conspicuus, remeauit. Quæ opera eius quia nō erant conformia mundo, mundus eum odio habere cœpit, venitq; tempus, quo virū iustum probarent casus aduersi, vt granum subactum & emortuum fructificaret vberius. Suscitauit enim antiquus hostis ei aduersarium Henricum Scatelerum Suenonis Danici Regis filium, cognatū eius, qui sub titulo hæreditatis maternæ ius regnandi contra ius & fas gentisque consuetudinem, quæ alienigenas regnare prohibet, sibi perperā vendicabat. Is cum nōnullis Sueciæ Optimatibus, à se muneribus corruptis, & amplis promissionibus illectis, necem sanctissimo Regi machinatus; clam iniquitatis Satellites coegit, contractisq; copijs, Regem nihil aduersi suspicantem, apud Orientalem Vpsaliam, ex improuiso adortus est. Dies erat, 18. Maij

Victor, de tot animarum sine baptismi gratia interitu, lacrymabundus dolet.

Ecclesias fundat.

Factio Scateleri in S. Ericum.

Necem illi machinatur.

S. Ericus sacrificio missæ intentus.

18. May Christi ad cælos ascẽsioni sacer, quo pius Rex in Ecclesia S. Trinitatis in monte (Domini vulgo dicto) vbi nunc Metropolitana cõsistit Ecclesia, Missarum solennijs interfuit. Interea à suis monitus hostẽ iam prope adesse, consultumque fore eidem armata manu protinus occurrere. *Sinite me* inquit *quietum ad finem vsque diuinissimi Sacrificij perdurare, & tantæ solemnitatis mysteria venerari, reliquũ obsequij Deo debiti spero in Domino nos alibi persoluturos, & laudes triumphatori super excelsa cælorum residenti decantaturos.* Peracto igitur sacrosancto Missæ sacrificio, cum Deo se impensius commendasset, impresso sibi crucis signo, cum paucissimis suis obuiam quidem hosti processit, & necessitate adactus manum strenuè conseruit. Sed Domino pios eius labores remunerari & grauioribus periculis eripere volente, eundem à nefario Principe opprimi passus est, vt è Regno terreno, ad cæleste & sempiternum feliciter transferret Anno Domini Millesimo centesimo sexagesimo. Fons eo in loco quo Deo sacrata hostia cecidit emanauit vberrimus: cui hactenus diuina semper inerat vis morbis curandis, proindeque tota Suecia celeberrimus habitus. Eodem loci mulier cæca sancti quo terra madebat cruore ad oculos admoto, fide plena mox visum recepit. Corpus Regis magno omnium bonorum luctu Vbsaliæ in Cathedrali Ecclesia quam ipse perfici exornarique curauit, sepultum. Vbi etiam plurima per eum Deus ad multorum salutem miracula operatur, cuius generis hæc sunt subiecta.

Non nisi missæ peracto sacrificio manum cum hoste conserit.

Ab hoste opprimitur.

Fontis prodigiosa scaturigo in cædis Regiæ loco.

Cæca cruore sancti oblita videt.

Vpsaliæ sepelitur Rex.

Miraculorum ibi patratorum series.

Vir quidam furore actus gulam sibi ferro præsciderat & voto ab alijs pro ipso ad S. Ericum facto, permansit incolumis.

Mulier cruris intermortui voto ad eundẽ sanctum concepto, vigorem ac soliditatem obtinuit.

Fætui abortiuo vita, matrique periclitanti salus reddita, voti beneficio ad eundem sanctum emissi.

Alteri matronæ in simili periculo constitutæ, visus adesse, puerperæ quidem ipsi sospitatem, partui vero absque vllo sensu edito vitam impertijt.

Idem prorsus eiusdem sancti beneficium, alia puerpera de vita periclitans cum incolumi fœtu voti rea experta est.

Villarum domorumque incendia inuocatus vel restinxit penitus vel auertit.

Cuidam quinque lethalibus plagis confecto sanitatem reddidit, Dęmones à diuersis obsessis fugauit.

Puellam quæ membrorum omnium contractione laborabat, perfecte in integrum restituit.

Duos aquis absorptos mortis exemit periculo, vnum quidem altero post submersionem die.

In lacu

In lacu Oſtrogothico cui Vether nomen nauigantibus quibuſdam vehementerque ne procellis obruerentur metuentibus auxilio adfuit. Religioſi cuiuſdam imploratus prece: nimirum & tempeſtates ſedauit, & reliquum curſum ſecundum tranquillumque conceſſit. Infantem natura mutilum & mancum, membrorum integritate valentem effecit.

Sacerdoti qui morbi grauitate loquendi vſum amiſerat, votiua prece ſollicitatus reſtituit.

Viros duos religioſæ profeſſionis inſigniter adiuuit, quorum vterq; mortuo quàm viuenti ſimilior; alter tabe pene conſumptus, alter vſu membrorum omnium deſtitutus.

Fœmina bis abortum paſſa iamque tertio graueſcente vtero munuſculum ſepulchro S. Erici vouit, & viuam enixa fuit prolem. Puer ſeptennis repentina correptus ægritudine, factuſque exanimis iacebat triduo, & tandem reuixit voto à patre ad S. Ericum nuncupato.

Hoc idem vni puellæ nec non piæ matronæ vita deſtitutis collatum à Sancto beneficium poſtquam ad ipſum preces ab eis fuſæ eſſent, qui & viderunt defunctas & cadauera ipſarum terræ mandari curarunt.

Hos præter vir magni nominis ſubito oppreſſus languore, ſenſum omnem ac vocem amiſerat, ſicque ſex diebus ſine eſu potuque ac penè ſine vita iacuit, iamque feretro illocandus ab amico ipſius nomine voto ad S. Ericum facto, ſenſum ilicò recepit & voto adimpleto loquelam.

Idem hic ſanctus ex diuerſis energumenis Tartareos abegit Genios, quo in genere maximè memorabile fuit de quodam obſeſſo, eodemque paralyſi tacto, quem votis adſtantium Diuus imploratus omnimodè ſanauit.

Item de alia fœmina quæ malo ſpiritu agitata, linguam ſibi exederat, illi enim S. Erici ſuffragio & mentis ſanitas & linguæ reuerſa integritas, quanquam linguæ vſum non niſi elapſo poſt anno medio in ipſo videlicet natali S. Martyris feſto recepit.

De eo annales Suet. & Danici Reuel. extrau. S Brigittæ c. 27. Ioan. Mag. lib. 19. Hiſtor. Goth. c. 10. & ſequenti & in ſua Metr. Manirol. Rom. Molanus & Caniſius in ſuis Martyrologiis. Thomas Bozius lib. 4. de ſignis Eccleſiæ c. 1. Vitam hanc ex Breuiario Vpſalenſi deſumpſi; habetur etiam in antiquo manuſcripto codice Rubræ Vallis in Belgio vna cum miraculis, fuſius tamen ea recenſentur, & in legendis (vt vocant) ſanctorum vetuſtis Saxonica lingua ſcriptis.

CHRITI-

CHRISTINA REGINA FLORVIT ANNO CHRISTI 1160.

ALEXANDRO III. Pontifice.
FRIDERICO BARBAROSSA Imperatore.
S. ERICO Rege.

Christina Diuorum Regum filia Diui Regis consors.



HRISTINA Diuorum Ingonis & Ragnildis parentum sanctissima filia postquam domesticis exemplis in pietate cæterisque virtutibus adoleuisset, sancto Erico Regi ac Martyri matrimonio iuncta fuit, & pari cum marito studio ac contentione corporis spreuit illecebras, & animum diuersis virtutum ornamentis excoluit: calcauit terrena & anhelauit ad cœlestia, non oculum vanitati, non aurem lenociniis aut detractioni, non mentem accommodans leuitati; sed semper se regens vno constantiæ ac grauitatis tenore, donec marito per martyrium consumpto, vidua plena dierum, plena de sua sanctitate apud omnes existimationis, Christo animam redderet.

Virtutum omnium exemplar.

De ea Ioan. Mag. lib. 19. Histor. Got. cap. 10. & in sua Metrop. lib. 1.

S. HE-

S. HELENA DE SCHEDVI, VIDVA ET MARTYR FLORVIT ANNO CHRISTI 1160.

Alexandro III. Pontifice.
Friderico Barb. Imperatore.
S. Erico Rege.



Helena ortus.

HElena Nobilibus parentibus, apud Veſtrogothos patre Guthormio Duce Sueciæ orta, veluti viola odorifera poſt infidelitatis brumã, vel poſt noctis caliginem ſtella matutina apparuit, exemplis radians & ſignis coruſcans.

Educatio.

Hæc à tenera ætate inſtar Suſannæ in lege & iuſtificationibus Domini erudita eſt: cum autem ad nubiles perueniſſet annos viro tradita, eũ tanquam Sara Thobiam iuniorem cum timore Dei ſuſcipere conſenſit.

Mortuo marito ſtatum eligit viduitatis Deo expeditius ſeruiendi ſtudio.

Mortuo vero marito quamuis eam ad ſecundas nuptias ætas & opes vocarent, elegit potius Deo per ſpirituales nuptias coniungi, quæ à luctu quidem incipiunt, ſed ęternis terminantur gaudiis; quam carnalibus ſubiici nuptiis, quarum initium lætum ſolet eſſe, progreſſus moleſtus, finis luctuoſus. Vinculo igitur maritali ſoluta, laborioſam viduitatis vitam degens Iudith ſanctæ mulieris imaginem in ſe expreſſit.

Ieiuniis & orationibus intenta.

Pauperum fotrix.

Nam omnib. diebus vitę ſuę ieiuniis & orationibus intenta, Domino fideliter ſeruiebat: domus eius viatori patuit ſemper, & de velleribus ouium eius calefactus eſt pauper.

Hieroſolymam peregrè proficiſcitur.

Ad ſepulchrũ Domini viſendum adorandumq; maximo deuotionis ſtudio accenſa, Hieroſolymam profecta religioſe totũ illud iter peregit. Vnde poſtquam multiplici ſpiritualium gaudiorum ditata fructu reuertitur, nardus eius dedit odorem ſuauitatis.

Eccleſiam Scheduenſem magna ex parte condidit.

Prophetiæ ſpiritu prædita.

Dilexit præterea decorem domus Dei: Nam magnam Eccleſiæ Scheduenſis partem, in qua poſtea ſacrum eius corpus depoſitum fuit, ſuo ſumptu extruxit. Prophetiæ quoque ſpiritu prædita fuit, quippe quæ obitus ſui diem & ſepulturæ locum ante prædixit.

Gener eius in coniugem ſæuus à ſeruis occiditur.

Dum ſic ſancta Deoque dilecta mulier, in aſſiduo bonorum operum exercitio verſaretur, accidit vt gener eius vir potens ob ſæuitiam qua in coniugem vtebatur nimia

à seruis contumelias Dominæ suæ iniquo animo ferentibus occideretur. Eius necis famulam Dei propinqui non modo conſciam ſed authorem etiam fuiſſe inique calumniati ſunt. Ipſa vero pacis & bonitatis filia, innocentiæ alumna, benefaciebat iis qui eam oderant, & orabat pro perſequentibus & calumniantibus ſe, plena ſpei, quod eo pacto luculentiorem in cælis mereretur coronam. Quadam igitur die dum in Villa Gotheue ad Eccleſiam contenderet, ab aduerſariis ex inſidiis prorumpentibus, multis grauibuſque inflictis vulneribus, crudeliter eſt interfecta. Corpus eius qui in comitatu aderãt, familiares non ſine lachrimis domum reuexerunt: atq; tunc primum animaduerſum, digitum vnum deeſſe: Sed illum diu latere non paſſus eſt ille qui cuſtodit oſſa ſanctorum ſuorum. Miro ſplendore lumen è cælo affulgens, eum inter dumeta demonſtrauit; cuius miraculi fama excitus è vicinia cæcus accurrit, ardentiſſimo deſiderio digiti videndi flagrans fideque plenus eum manu prehendit, moxque oculorum lumen recepit. Eam Stephanus Archiepiſcopus Vpſalenſis iuſſu Alexandri Papæ III. Carolo VII. Gottorum Sueonumque Rege inſtante, ob ſanctimoniam vitę & miraculorum operationem in ſanctorum numerum retulit, Anno Domini Milleſimo Centeſimo Sexageſimo quarto, ſtatuitque diem anniuerſariam quæ eſt Vltima Iulii. Vitam eius & miracula conſcripſit B. Brinolphus Epiſcopus Scarenſis, quam videre hactenus nequiuimus.

S. Helena calumnia impingitur.

Benig na in calumniatores.

Ad Eccleſiam tendens interficitur.

Corpore domũ reuecto deſideratur digitus.

Indicio cæleſtis ſplendoris reperitur.

Cæcus eius attactu illuminatur.

S. Helena in Diuorum Catalogum relata.

De ea Scriptores rerum Sueticarum & breuiaria antiqua. Ioan. Mag. lib. 19. Hiſtor. Goth. cap. 7. Molanus & Caniſius in ſuis Martyrologiis, Thomas Bozius de Sig. Eccleſiæ Dei lib. 22. cap. 2. Cæſ. Bar. Tom. 12. pag. 516.

IOAN-

IOANNSES I. ARCHIEPISCOPVS VBSALIEN. ET MARTYR FLORVIT ANNO Christi 1188.

CLEMENTE III. Pontifice.
FRIDERICO BARB. Imperatore.
CANVTO Rege.



OANNES I. Vbsalensis Archiepiscopus ob vitæ sanctimoniam doctrinæque præstantiam sortitus est gloriam sempiternam. Canutum Regem homicidii reum Ecclesiastica corripuit censura, perque salutarem pœnitentiam pietate, humilitate ac munificentia inclytum reddidit; quarum virtutum Rex perpetua extare voluit argumenta, duobus amplissimis Monasteriis Iulita, ac Varnsemio Ord. Cist. à se extructis, quæque patrimonii sui prædiis dotauit. Nec ista in augmentum Diuini honoris fecisse contentus, diuini cultus ministros honoribus, prouentibus, priuilegiis, cumulatissime prouexit, sacerdotia instituit, ædes sacras partim collapsas, partim nouas è fundamentis erexit. Quę omnia optimi Pontificis nutu ac consilio facta sunt, & quidem istis longè plura maioraque præstitisset ipse, nisi præmaturam per martyrium oppetiisset mortem, maturus cœlo, immaturus suis, in propriis ædib. Almersteck ab infidelibus Æstonibus pyraticam excursionem in Melerum vsque facientibus trucidatus, postquam quatuor in Archiepiscopatu sedisset annos. Occubuit autem feliciter 10. Iulii Millesimo centesimo octuagesimo octauo. Sepultus Vbsaliæ in Ecclesia Metropolitana.

Ioannes Canutum Regem ob casum Carolū VII. ad pœnitentiæ frugem perduxit.

Rex Canutus duo amplissima monasteria condit.

Iulitam in Sudermania, Varnhemū in Vastrogothia.

Clerum prouentibus & priuilegiis donauit.

Ecclesias erexit & restaurauit.

Ioannes à pyratis trucidatus.

De eo Ioan. Mag. lib. 9. hist. Got cap. 9. & in sua Metrop. aliique scriptores rerum Sueticarum.

CAROLVS FOLCHVNGVS MARTYR FLORVIT ANNO CHRISTI 1220.

HONORIO III. Pontifice.
FRIDERICO II. Imperatore.
CANVTO Rege.

Caroli ardor pugnandi contra infideles.



AROLVS Dux Ostrogothiæ, gente Folchungus tanto fidei feruore accensus fuit, vt nullis precibus reuocari potuerit à bello, quod Cruciferi cũ Lithuanis Idololatris, Æstonibus & Moschis susceperunt. Felicem quippè beatumque se fore existimabat, si pro Christi honore vitæ caducæ residuos eosque incertos annos erogare posset. Nec secus euenit. Nam ingenti numero Barbarorum sua manu prostrato, admiranda fortitudinis opera edidit, tum postmodum inuictum cum sanguine spiritum Martyr profundit; cunctis Christianis qui funestæ pugnæ supereant ob eius incomparabilem fortitudinem, & fata præmatura collachrymantibus, Birgerus Ierl, licet viuum propter potentiam iniquius ferret, mortuum nihilominus planxit, sumptuosissimisq; exequiis prosequendum curauit, obiit vero anno salutis Millesimo Ducentesimo vigesimo.

Barbaros plurimos strauit.

Gloriose occumbit, socius & æmulis eius obitum deplorantibus.

De eo Ioan. Mag. lib. 19. Hist. Goth. cap. 18. & reliqui.

CARO-

CAROLVS EPISCOPVS LINCOPEN. ET MARTYR

FLORVIT ANNO CHRISTI 1220.

HONORIO III. Pontifice.
FRIDERICO II. Imperatore.
ERICO XI. Rege.



AROLVS Ducis Birgeri Ierl frater germanus, sextus in ordine Lincopen. meruit cathedram, in qua cultus Diuini studiosissimus extitit propagator, pauperumque insignis defensor. Nec contentus propriarum ouium salute, alias insuper Christi ouili adducendas sibi omni qua potuit cura ac studio putauit. Quamobrem Carolo Duci patruo suo aliisque Regni Sueciȩ Episcopis gloriosum Sanctorum Martyrum æmulantibus triumphum, animarumque æternam sitientibus salutem sociatus, vltra Liuoniam Christianæ religionis propagandæ gratia perrexit, eodem cum Carolo certamine loco dieque ab Ethnicis interfectus, illustrem martyrii Coronam est consecutus.

Carolus Episcopus cultus diuini studiosus.

Inopum tutor & altor.

Zelo propagandæ inter Ethnicos & Schismaticos fidei ardet.

In bellum profectus occumbit.

De eo Chronicon Episcoporum Lincopensium & reliqui scriptores rerum Sueticarum.

HOLLINGERVS FLORVIT ANNO CHRISTI 1248.

INNOCENTIO IV. Pontifice.
GVILHELMO Rege Roman.
ERICO XI. Rege.



OLLINGERVS Folckonis Ostrogothiæ Ducis filius, cum Ciuili bello Regnum arderet, & in diuersa pro Rege nouo traherentur studia, Magnatum nonnullorum, quorum ille militiam casu magis quam proposito sequebatur, in crimen perduellionis, cum iisdem ab Erico iam confirmato apud Sueones Rege vocatus, capite plexus fuit, anno circiter Domini Millesimo ducentesimo quadragesimo octauo. Verum Rex Nobilissimi viri casum dolens, honestissima sepultura in Monasterio Monialium Ord. Cist. nominato Schogh prope Vbsaliam decorandum præcepit, vbi crebra ad sepulchrum eius miracula vitæ ac mortis eius liquido contestantur innoçentiam.

Hollingerus capite plectitur innoxius.

Sepultus in Schog Cœnobio vbi miracula patrantur.

De eo Ioan. Mag. lib. 19. Hist. Goth, cap. 14. & in sua Metrop, lib. 3. cæterique scriptores rerum Sueticarum.

THO-

THOMAS EPISCOPVS ABOEN. ET MARTYR FLORVIT ANNO CHRISTI 1248.

INNOCENTIO IV. Pontifice.
GVILHELMO Rege Roman.
ERICO XI. Rege.



ERICO XI. Sueonum Gothorumque Rege de Tauastiis Regni fideique Christianę hostibus triumphante, legem victis præscribente, vt Idolorum superstitione abiecta Christi fidem acceptarent; Thomas Episcopus Aboensis nouellæ fidei plantationi veluti vas electionis Præfectus, non minori perfecit cura ac labore, vt armis subiectus populus Deo, quam Regi Regnoque existeret fidelis: & quam verbo exemploque instillabat fidem, sanguine demum proprio per Martyrium fuso, consignauit, ab infidelibus immaniter trucidatus. *Thomas in lege Christi erudit Tauastios.* *Occumbit.*

De eo Io. Mag. in sua Metrop. lib. 3. & lib. 19. Hist. Goth c. 15. nonnulli euasisse eum furorem barbarorum scribunt atque in Gothlandia vitam cum morte commutasse.

COLO II. EPISCOPVS LINCOPEN. FLORVIT ANNO CHRISTI 1252.

INNOCENTIO IV. Pontifice.
GVILHELMO Rege Roman.
ERICO XI. Rege.

Colo vir memorabilis.



OLO Episcopus Lincopensis vir dictorum ac factorum gloria clarissimus, accersitis à Duce Birgero Ierl (cum certa fuissent præmissa pacta) ad colloquium Folghungis Regis hostibus de Birgeri integritate benè persuasus iureiurando fidem suam de eorum saluo accessu & recessu interposuit, sed trucidatis à Rege contra pacta Folchungis, Colo grãde se piaculum perpetrasse ratus (vt solent viri sancti vel leuissima nõ leuiter æstimare atque adeo in seipsis castigare) nunquam deinceps eo ore sanctissimum Christi corpus consecrare voluit, quod perillustribus viris interitus occasionem præbuisset. Quin relicta Ecclesia Episcopali & patria ad Christi sepulchrum profectus, vitã peregrinatione & exilio voluntario finiuit, anno circiter Domini Millesimo Ducentesimo quinquagesimo secundo.

Iusiurandum non sua culpa violatum in se punit sacrificii abstinentia & Hierosolymitana peregrinatione.

De eo Ioan. Mag. lib. 19. Hist. Got. cap. 17. Chron. Episcoporum Lincop. transitum eius ad annum referre videtur 1286. sed mendose: tum enim post Birgerum Ierl & Valdemarum eius filium rerum potiebatur Mag. Ladelos.

S. IN-

S. INGRIDIS VIDVA ORDINIS SANCTI DOMINICI FLORVIT ANNO CHRISTI 1283.

Martino IV. Pontifice.
Rvdolpho Rege Roman.
Magno Ladelos, Rege.

SAncta Ingridis Scheningiæ in Ostrogothia nobili genere orta, & summa morum ac vitæ honestate prædita, suorum voluntate prima sęculi vota subiit, sed mortuo marito spreto mundanæ nobilitatis fastu, & posthabito amicorum consanguineorumque blando consortio, vt liberius posset seruire Regi Christo, adiunctis sibi aliquot deuotissimis virginibus, Compostellam, Romam ac Hierosolymam Anno Domini 1282. peregre profecta est; indeq; incolumis in patriam reuersa, prope miraculose suis innotuit ciuibus. Quamobrem aduentu eius læti & gratulabundi, pro sua quisq; facultate vasa argentea, sanctæ mulieri supplices obtulere: quorum illa precio Monasterium virginum amplissimum Ord. D. Dominici in eodem oppido, Choro peridoneo, laudabili obseruantia ac regula ad nostra vsque tempora, magna nobilium Ciuiumque diligentia, pro eorum filiabus caste & sancte educandis custoditum erexit; in quo ipsa vitæ sanctitate, puræque simplicitatis ac promptæ obedientiæ exemplo, numerosum castitatis chorum cœlesti sponso congregauit, ac demum gloriosa meritis, ad eius amplexus læta commigrauit. Sanctorum Collegio adnumerata Archiepiscopi opera tempore Concilii Constantinensis authoritate Martini V. Pontificis Anno 1418.

S. Ingridis orba marito sæculari fastu abiecto peregrè abit Compostellam, Romam, Hierosolymam.

Reditus eius miraculose innotuit.

Reduci dona conferunt ciues, vnde cœnobium ædificat.

In eo legibus sacris Diui Dominici se obstringit.

Sanctis adnumerata.

De ea Olaus Mag. de Schening. Ioan. Mag. in sua Metrop. Cabilonensis in Topographia Martyrum.

MECHTIL-

MECHTILDIS VIRGO ORDINS SANCTI DOMINICI FLORVIT ANNO Christi 1283.

MARTINO IV. Pontifice.
RVDOLPHO Rege Roman.
BIRGERO II. Rege.

S. Mechtildis virginitatem vouere proposuit.



ECHTILDIS illustris prosapiæ virgo, cum esset ætate florida, & forma spectabili, contra suam voluntatem pari nobilitate iuueni cuidam in matrimoniũ data fuit. Verum quia iam ante virginitatem suam Deo deuouere proposuerat, probè gnara & in paterna domo sanctimoniam, & in maritali thoro pudicitiam periclitari, portus securioris cupida, medio primæ nuptiarum noctis silentio thalamum intacta deseruit, atq; ope D. Ingridis cuius peregrinationi se sociam adiunxit, in sancto virginitatis proposito incorrupta, vsque ad vitæ exitum obedientia, humilitate, ieiunio aliisque virtutibus, fæcunda permansit. Sepulta Scheningiæ.

Nuptialem quẽ inuita subiuit thalamum fugibunda deseruit.

Virtutibus fæcunda obiit.

De ea Olaüs Magnus de Scheningia.

IOAN-

IOANNES II. ARCHIEPISCOPVS VPSALEN. FLORVIT ANNO CHRISTI 1291.

NICOLAO IV. Pontifice.
ADOLPHO Rege Roman.
BIRGERO II. Rege.

OANNES è Polonia oriundus, & ab adoleſcentia ſua iugo Diuinæ legis aſſuetus, ita ſacræ ſcripturæ documentis, ſuum præbuit auditum, vt non ſolum auditor ſed etiam diligentiſſimus obſeruator, effectus Ord. D. Dominici nuper à ſede Apoſtolica confirmato iamq; tũ florenti ſeſe mancipauit, eiuſque propagandi cauſa à D. Hiacintho item Polono in Sueciam miſſus fuerit; Anno Salutis 1233. quo in negotio feliciſſimos fecit progreſſus. Iarlerum enim Archiepiſcopum Vpſalenſem, facilè induxit vt Monaſterium ampliſſimum Prædicatorum ordini in Oppido Sigtunæ extrueretur, loco ad quietem opportuno; vbi Ioannes nõ paucos vitæ monaſticæ alumnos collegit, & vndequaque virtutum radios ſparſit deditque ſuauitatem odoris, donec ceu lucerna ardens ad Alboenſem ſublimaretur Epiſcopatum cogereturque monaſticam illam & ſuauiſſimam libertatem cum Pontificia ſollicitudine permutare: Sed & hæc tantis viri virtutibus longe anguſtiora ſepta ſunt viſa. Erat enim non ſolum eruditione ac religione, verum etiam rerũ gerendarum experiẽtia conſpicuus. Quare ab Eccleſia Aboenſi ad Archiepiſcopatum Vpſalenſem, tum Archipræſulis ſolatio deſtitutum, concordibus Canonicorum Vpſalenſium votis poſtulatus, & à Nicolao Papa IV. Pontifice curæ paſtorali inuigilans, multiſque pro honore Dei & ſalute gregis ſibi crediti laboribus, ſuperatis in Terris Franciæ, Anagniæ pallium Archiepiſcopale à ſupradicto Pontifice petiturus diem clauſit extremum, 8. Septembris Anno 1291. Relatum eſt corpus eius ex Francia in Sueciam & in Monaſterio Sigtunenſi vbi olim contemplatiuę vitæ dulcedine perfruebatur non ſine miraculorum editione tumulatum.

Ioannes Archiepiſcopus natione Polonus.
Profeſſione Dominicanus.
A Diuo Hyacintho in Sueciam directus.
Sigtunenſe cœnobium Ord. S. Dominici erigitur.
Ioannes è Cœnobita fit Epiſcopus Aboenſis.
Deinde Archiepiſcopus Vpſalenſis.
Moritur Anagniæ.

De eo Chron. Ord. Præd. Ioan. Mag. lib. 18. Hiſt. Goth. cap. 18. & in ſua Metrop. lib. 1. pag. 17. Baronius Cæſar Tomo 12. pag. 362.

PETRVS

PETRVS EPISCOPVS AROSIEN. FLORVIT ANNO CHRISTI 1296.

Bonifacio VIII. Pontifice.
Adolpho Rege Roman.
Birgero II. Rege.

Petrus Careliam Christi fide imbuit. PETRVS Episcopus Arosiensis, in rebus gerendis prudentissimus, totam Careliam belli iure deuictam Christiana fide imbuit fideique sacramentis initiauit & eandem munitissimis præsidiis confirmauit Sueonum imperio verius subiectam. Non multò post *Iniquis in Cleri libertatem legibus obsistit.* cum Rex conuocatis ad se Episcopis & Regni Proceribus leges ferret vtilitati & dignitati Ecclesiasticæ repugnantes, à Clero videlicet ipso decimas exigendo eamque decimarum partem, quam maiores eius multi retro Reges priuilegijs amplissimis pauperibus concesserant, sex amplius annis refragante Vniuerso Clero per vim retineret, Petrus constanter restitit & ad sentiendum aliter neq; minis neque pollicitationibus potuit induci, maluitque in exilium proscribi quam *In exilium pulsus.* Regiæ cupiditati subscribere. Itaque patria extorris factus, Ni- *Nidrosiæ obiit.* drosiam Noruegiæ concessit vbi vitæ cursum bene beateque cõfecit Anno Christi Millesimo tertio supra trecentesimum, dignus qui aliis sanctissimis Pontificibus viriliter Ecclesiasticam immunitatem vsque ad sanguinem propugnantibus comparetur.

De eo Ioan. Mag. lib. 20. Hist. Goth. cap. 11. & alij scriptores rerum Sueticarum.

S. BRY-

S. BRYNOLPHVS EPISCOPVS SCARENSIS FLORVIT ANNO CHRISTI 1317.

IOANNE XXII. Pontifice.
FRIDERICO III. Imperatore.
BIRGERO II. Rege.



RYNOLPHVS Patre Algotho Sture Legifero Vestrogothiæ ex illustri Folkungorum stirpe oriundus duo de viginti annis Parisiis maxima cum laude operam litteris dedit. Ex hac opulenta studiorum messe in patriam reuersus Ecclesiastico ordini adscriptus est & in primis Canonicatu Scarensi, dehinc Decanatu Lincopensi exornatus; atque non multo post vniuerso populo expetente in Episcopum Scarensem electus. Quo in munere vti erat omni genere doctrinæ ac pietatis instructissimus, multos in vinea Domini labores libens sustinuit atque eximia sanctitatis opera edidit. Grauis ei aliquando cum Rege Magno Ladelos inciderat cōtrouersia eoq; processerat res stimulantibus Regis animū seditiosis quibusdam satellitibus vt Episcopus hostis Regius decerneretur, & ad mortem sæpius quæreretur. Sed postquam Rex multis argumentis eius non fucatam sed solidam deprehēdisset sanctimoniam & vitæ integritatem probasset, ipso die Assumptionis Beatæ Virginis sacris solennibus Præsulis interesse voluit, quib. peractis depositis à se satellitibusq; suis omnib. armis ad pedes altaris ac Præsulis prostratus supplex scelerati propositi veniā impetrauit; moxq; in arcē Regiam inuitatum ne fidæ simulatæq; fidei suspicio animo cuiuspiam amplius insidere posset, prandio excepit aliaq; humanitatis & beneuolentiæ signa exhibuit luculentissima Episcopo. Et cum in dies maiora pro Ecclesia Dei patriæq; salute aggrederetur, tandem felici cursum vitæ præsentem consummauit Octauo Idus Februarij anno 1317. cum sedisset in Episcopatu annos 38. miraculis in vita & post mortem clarus sanctorum numero dignissime adscriptus in concilio Cōstantinensi, V. Cal. Maij anno 1416. Canonizationem illius sollicite cōstanterque perurgente Erico XII. Sueonum Rege totoq; Regni Senatu. Ad eius sepulchrum Scaris D. Brigitam orationi deditam suauissimus aliquādo afflauit odor. Quo tempore eidem in spiritu raptæ B. virgo cum S. Brynolpho sese spectandos prębuere ac prior Deipara. *Scito* inquit *filia quod hic, quem cernis, Episcopus, dum viueret insigniter me honorauit, & honorem obsequiis confirmauit. Cuius vita quam filio meo grata extiterit vel ex hoc odore quem persensisti conijcere licet. Nunc autem licet anima eiusdem in conspectu Dei sit, tamen corpus eius iacet hic in terra sine honore nec pro di-*

S. Brynolphus Parisiis 18 annos in literarū studiis ponit.

Redux in ecclesiasticum ordinem adscribitur.

In Episcopum Scarensem à populo expetitur.

Eius cum Rege controuersia.

Rex eum deprehendit innocentem.

Veniam à sacrificante deprecatur.

A Rege prandio humaniter excipitur.

Obiit miraculis clarus.

In Diuorum numerum adscribitur.

Eius sanctitas diuinitus S. Brigittæ reuelatur.

S. Brynolphus viuens Dei matrem insigniter honorauit.

Corpus eius sine honore iacere B. V. queritur.

Laus cumulata S. Brynolphi.

pro dignitate tantæ margaritæ mihi dilectæ locum habet. Deinde filio ait: Sic seruus tuus o fili quamdiu inter mortales vixit, fuit in fide sancta stabilis, quem nec infregit aduersitas nec inclinauit voluntas: fuit & flexibilis ad voluntatem tuam sicut aer mobilis, quocunq; eum impetus spiritus tui traxit. Fuit insuper in charitate tua ardens quasi ignis calefaciens frigidos & consumens iniquos. Nunc autem anima eius tecum est in gloria cuius receptaculum depressum est & in humiliori loco quam deceat iacet. Precor fili mi, da corpori eius locum sublimiorem; honora illud, quod te pro modulo suo honorauit; exalta illud quod te labore suo quo potuit apud homines exaltauit. Cui filius. Benedicta es mater mea, quæ tam studiose accuras amicorum tuorum honorem. Non conuenit vt Saphyrus membra conseruans sana & corroborans infirma ponatur in luto, vel vt cæcis accendatur lumen. Iste quidem homo sicut in fide fuit stabilis & in charitate feruidus sicut & in continentia optime fuit ad voluntatem meam dispositus propterea sapuit mihi, sicut cibus optimus, optime decoctus in omni patientia & tribulatione. Dulcis deniq; & bonus in bona voluntate & effectu melior inconatu & virili progressu optimus & dulcissimus in laudabili consummatione. Propterea non decet vt inter lupos tam præstans delitescat esca, quorum cupiditas nescit satietatem, quorum auiditas floribus virtutum non saturatur, sed carnibus putridis ingurgitatur; quorum vox omnibus nociua. Fuit etiã tanquam lumen positum super candelabrum per omnem mandatorum meorum executionem, per bonæ vitæ doctrinam per quam muniuit stantes ne caderent, eleuauit cadentes, posteros etiam ad me excitauit. Hoc lumen indigni videre sunt amore obcæcati noxio, hoc lumen discernere nesciunt albugine superbiæ infecti: ideo priusquam in conspectum prodeat iustum est vt illi qui immundi sunt purgentur, & qui cæci sunt, illuminentur.

Christus S. Brynolphi laudes approbat.

Hæc ex cap. 30. lib. 2. Reuelat. S. Brig. & c. 118. extract. desumpsimus: vita enim eius nondum ad manus nostras peruenit. De eo Ioan. Mag. lib. 20. Hist. Goth c. 7. & 24. Olaus Mag. lib. 16. Hist. c. 29. & alij scriptores rerum Sueticarum quorum nonnulli transitum eius ad annum 1314. referunt. Ericus Vbsalensis in sua Hist. obijsse eum asserit anno 1316. Quinque Scaris Ecclesiastica fundauit dotauitque ex hæreditariis bonis beneficia, & vitas S. AEschili ac D. Helenæ conscripsit, quas videre nobis hucusque non contigit. Constat tamen ex Chron. Episcoporum Scaren. ita euenisse vt D. Brigitta in visione illa reuelatum fuit. Nam 80. post annis, ossa eius ab altero eiusdem nominis atque etiam vitæ æmulo Brynolpho Episcopo Scaren. è tumulo subleuata atque condigno collocata fuere loco.

GERE-

GERECHINVS ORDINIS CISTERCIENSIS FLORVIT ANNO CHRISTI 1345.

Clemente VI. Pontifice.
Friderico III. Imperatore.
Erico XII. Rege.



Beatvs Gerechinus in ipso ætatis flore spreto mundi huius luxu Aluastrense Monasterium Ordin. Cisterciensis ingressus est, eum tanta benedictionis & dulcedinis gratia præuenit Devs, ad tantamq; mentis sublimitatem euexit, vt vita eius innocentiæ sanctitatisque speculum fuerit semper visa. Quadraginta integros annos, nunquam extra Monasterii septa quoquam prodiit; sed diebus ac noctibus orationi deditus hanc gratiam singularem à Deo obtinuerat, vt visus sit orationis tempore quasi continuè nouem choros Angelorum videre, & ad sacro sanctæ eleuationẽ hostiæ Christum in specie pueri sibi sæpius dicentem audire: *Ego sum filius Dei & filius virginis*. Humilitatis & obedientiæ studiosissimus fuit, cuius in primis illud præclarum specimen edidit. Præceperat ei aliquando Abbas vt pistorio operi deditos adiuuaret, cuius ipse artis cum ignarus esset, venerabundus Deiparam in pariete depictam more solito sic est affatus: Domina mea D. Abbas præcepit vt vna cũ pistoribus laborem, tu autem scis me prorsus eius artis rudem esse; verumtamen facere sum paratus quod mihi suggesseris. Cui per eandem effigiem Domina respondit: *Fac quod hucusque feceras & ego pro te seruiam in pistrino*. Abijt ille ad locum consuetum orareque perrexit: atque eodem tempore visa est dicto loco ministrasse persona quædam incognita speciẽ Gerechini præ seferens quo ipse in Ecclesia defixus in oratione deprehensus fuit. Venerat aliquando ad illud Monasterium D. Brigitta ex contemplatione seruorum Dei spirituales collectura flores; tunc miratus Gerechinus & zelo regulæ incensus hoc intra se verbum cepit volutare; Quid agit ista Domina in claustro

B. Gerechini innocentia & sanctitas.

Per 40. annos pedem extra cœnobium nũquam efferebat.

Orans nouem Choros Angelorum vidit.

Christum in Ecclesia sub specie pueri.

Responsum per imaginẽ Deiparæ accipit.

Deiparæ eius vices in pistorio opere subit.

S. Matrona miratur in cœnobium ingressum.

monachorum? quid regulam nostram suo transgreditur ingressu? & dum ita hæreret perplexus Dominus omnem illi scrupulum tali visione exemit: nimirum orationis tempore extra sepositus: Vidit enim D. Brigittam in sublime elatam & de ore eius flumen egrediens, simulq; hanc vocem diuinitus factam audiuit: *Hæc est mulier quæ à finibus terræ veniens propinabit innumerabilibus gentibus sapientiam: Et hoc erit tibi signum quod ipsa diuinitus edocta dictura est tibi finem vitæ tuæ & exultabis in verbis & aduentu eius, & complebitur citius desiderium tuum ne videas mala quæ inducturus est Deus super hanc domum.* Gerechinus igitur per eam certior de obitu suo factus maiorem quam alias de ipsa opinionem concepit, & quid ab ea didicerat fratribus communicauit, & simul domui suæ disposuit; postmodum corporis compedibus dissolui & esse cum Christo ardenter expetiit. Morte appetente exaratam tribus duntaxat literis vidit scripturam P.O. & T. eamq; coram adstantib. hunc in modum est interpretatus: Veniendum mihi & festinandum non tamen soli, trium comitatu gaudebo: Petrum, Olaum & Tordonem hæ denotant literæ. Quibus vocatis anima illa sanctissima carnis soluta vinculis in cœlum transuolauit. Illi vero eiusdem Ordinis nominati fratres intra octiduum omnes per mortem in vitam sempiternam Gerechinum subsecuti anno salutis millesimo trecentesimo quadragesimo quinto.

Scrupulus illi eximitur videns S. Brigittam è solo attolli.

Oraculum de S. Brigitta.

Discit ab eadem sui obitus diem.

Idem tribus suis symmystis de eorum obitu indicat.

De eo lib. 4. reuel. S. Brig. c. 121, Extrau. c. 55. & in vita S. Brig.

ALGO-

ALGOTHVS ORDINIS MINORVM S. FRANCISCI FLORVIT ANNO CHRISTI 1345.

CLEMENTE VI. Pontifice.
FRIDERICO III. Imperatore.
ERICO XII. Rege.



ALGOTHVS bonam à Deo sortitus animam à puero pietatem cum litteris auidissime imbibit, & postquam humanioribus excultus fuisset, Lutetiam Parisiorum ad solidiora studia sese contulit, ibique partim Philosophicis partim Theologicis tamdiu operam dedit commentationibus, donec Doctoris in Sacra Theologia gradum fuit meritus & consecutus Inde postmodum rediens tam amplo litterarum dotatus talento Deo inseruire disposuit statimque sæculo renuncians habitum suscepit Franciscanum. Quare liberior in seruitijs Diuinis factus bonis operibus perpetuo erat intentus, vt malignus spiritus hostis humani generis perpetuus eum semper occupatum inueniret. Castitatis fuit perquam studiosus, obedientiæ sanctæ constanter addictus, paupertate & humilitate facile omnes anteibat, concionibus quoque ad populum frequentibus mirifice incendit corda auditorum & animos ad pietatem commouit. Erant enim verba illius spiritu plena intimos animi recessus penetrantia. Porro cum vbique tum Scaris præsertim vbi Cœnobitis præfuit egit, magna doctrinæ ac sanctitatis suæ reliquit monumenta. Tandem laboribus fessus tribus ante mortem annis cæcitate ad maiorem meritorum cumulum & ad patientiæ præmium vberius, & graui percussus dolore calculi fine quieuit beato. Aderat tunc Scaris D. Brigitta & Deum præpotentem sollicite precabatur pro Algotho vt sanaretur, orando autem in spiritu tale responsum accepit. Ipse est stella quędam fulgida, non expedit vt fuligine vitę mortalis denigretur eius anima Iam enim certamen certauit & cursum consummauit & nihil restat nisi vt coronetur. Et hoc erit tibi signum quod ab ista hora alleuiabuntur dolores carnis: verum anima ardentiori inflammabitur charitate mea. Deinde ad animam conuersa vox: Veni electa mea in gaudium quod desiderasti, veni ad perfruendum dulcedine quæ nunquam finietur, fonte vitæ inebriaberis cuius riuulos tantopere sitiuisti. Quæ dum cupide audiret Beatus spiritus corporeis exolutus vinculis superiorum choris est insertus. Obijt autem anno post Christum natum 1345.

B. Algothus.
Parisijs Doctor S. Theol. insignitur.
Redux D. Francisci familiæ adscribitur.
Otium perosus.
Concionator vehemens & efficax.
Cœnobio Scarensi praeest.
Cæcitate triennis laborat & lithiasi.
S. Brigitta pro eius incolumitate Deum precatur.
De certaminis ipsius termino responsum accepit.
Voce Diuina euocatur eius anima.

De eo lib. 6. reuel. S. Brig. c. 31.

ISRAEL FLORVIT ANNO CHRISTI 1348.

Clemente VI. Pontifice.
Carolo IV. Rege Rom.
Erico XII. Rege.

Israelis indoles & iuuenilis institutio.



SRAEL summo apud Sueones genere natus frater D. Brigittæ ab infantia domesticis creuit exemplis in pietate & moribus, non molli educatione nutritus sed optimis institutis imbutus, ætate non sensu puer videbatur vt iam tum omnibus firmum relinqueretur argumentũ qualis adultæ ætatis seges futura esset. Prauorum fugiebat consortia & bonos pia æmulatione superare nitebatur. In B. M. Virginem præcipua ferebatur deuotione, eius patrocinio se suaque semper commendans. Pauperum opitulator fuit insignis, quibus toto affectu subueniebat & humanitatis obsequia præstabat, cumq; iam honoribus iisq; summis suscipiendis ætas esset idonea, Nericiæ Legifer seu præses proclamatus est, quam ille dignitatem priuato statu contentus diu reluctando repudiauit, nec precibus vllis vel Regis vel amicorum adduci potuit, donec reuelatione B. V. monitus id muneris ad honorem sui filij ipsiusque spiritualis augmentum profectus cessurum didicisset tandem consensit. Tanta porro authoritate ac pace in suscepta dignitate se gessit, quanta potuit à viro grauissimo desiderari. Ea enim illi fuit comitas, ea facilitas, ea erga omnes beneuolentia, vt se conuenientes benignissime exciperet, ea demũ in vultu Maiestas vt timeretur à malis & coleretur à bonis. Magnates inter honorabilis, inter minores humilis semper visus fuit. Delicta rationibus non conuiciis arguebat, in dicendo erat efficax, in respondendo promptus & argutus, in decernendo solidus, aspectu adeo iucundo vt omnes ad se alliceret, naturali prudentia adeo sibi connata, vt ex propriis singulos moribus discerneret, Dei & iustitiæ intuitu sua cuiq; largiretur. Interea graue incubuerat Gothis & Sueonibus bellum cum Schismaticis

In Deiparam peculiaris deuotio.

Pauperibus opitulabatur.

Dignitates repudiat, donec Diuinitus impellitur.

Cum laude munere suo fungitur.

Dotes eius.

Contra infideles copias ducit, martyrii cupidus.

maticis & Moſchouitis & falſorum numinum adhuc veneratoribus Oæſtonibus, qua occaſione Martyrij decus adeo cor eius peruaſerat, vt preciosam pro Chriſto mortem ſuper omnium virtutum merita peroptaret, nec prius Regem ſollicitare deſtitit, quam optata proficiſcẽdi potiretur licentia.

Lectiſſimo igitur ſecum milite ſumpto nauem conſcendit & Rigam Liuoniæ metropolim peruenit; iam iamque caſtra contra Dei & Eccleſiæ hoſtes producturus, in ægritudinem incidit, ſentienſq; tabernaculi ſui depoſitionem imminere, aſcendit cum aliquibus in Eccleſiam Cathedralem ibique digito imaginis B. Virginis cui templum dicatum erat, annulum quem geſtabat precioſum impoſuit dicens: *Tu mihi Domina es ſemperque fuiſti chariſſima, ſuper quo teſtem inuoco filium tuum, ideo me & animam meam tuæ prouidentiæ do dico addico.* Mox ſacroſanctum Chriſti corpus Chriſtianæ peregrinationis viaticum ſibi popoſcit, quo autem cultu, qua veneratione, quibus pietatis & religionis ſignis non facile quiſquam dixerit. Venienti Domino quantum potuit tota mente obuiam proceſſit, etiam corpore, quatenus per exhauſtas vires licuit, humi ante altare poſitus atq; proſtratus cœleſti pabulo refectus, tota mente & oculis in cœlum intentis beatam Deo animam reddidit, & vere beatam, quam etſi perſecutionis gladius non abſtulit, palma tamen martyrij non fefellit. Obiit autem anno reparatæ ſalutis Milleſimo trecenteſimo octauo & quadrageſimo. Corpus eius ab vxore Ramfride in Sueciam perductum paterno Vbſaliæ illatum fuit ſepulchro.

Rigam appellit. *Ægrotat.* *B. Virg. ædem adit: eidem & filio vitæ ſuæ metam commendat.* *S. Viaticum expetit ad aram procumbens.* *Reficitur.* *Animam Deo reddit.* *Corpus eius Vbſaliæ tumulatur.*

De eo lib. 6. reuel. D. Brig. c. 95. & lib. 8. c. 29. & alij nonnulli rerum Sueticarum Scriptores, qui, dignitatem Regiam cum corona Regni ei delatam poſtquam Rex Magnus Smeek in Noruegiam profugiſſet, conſtanter Iſraelem repudiaſſe aſſeuerant.

MATTHIAS S. THEOLOG. DOCTOR FLORVIT ANNO CHRISTI 1350.

Clemente VI. Pontifice.
Carolo IV. Rege Rom.
Erico XII. Rege.



MATTHIAS honestis natus parentibus & naturali quadam alacritate donatus præclaris vitę institutis à teneris assueuit. Nam postquam domi egregia in humaniori litteratura iecisset fundamenta florentissimas exterorum adijt Academias breuique tantum profecit vt in Sacra Theologia lauream magna cum laude perceperit. Et cum litterarum scientia præstans esset cælestis quoque vitæ ac innocentiæ laudibus floruit. Quamobrem in patriam redux Lincopensem Canonicatum obtinuit meruitque diuinorum arcanorum conscius fieri quæ Deus tum D. Brigittæ reuelauit; ei quippe à confessionibus fuit, totam eius domum rexit, eamque cum filia D. Catharina Grammaticam & cantum ex præcepto Christi docuit, & in viam virtutum spiritualibus exhortationibus direxit. Erat enim vir spiritu acer, & non minus opere quam sermone potens, grauitatem etiam quandam habuit humanitati atque benignitati coniunctam, qua omnes ad quandam erga se reuerentiam inuitabat, vt nulla ambitio, nulla eum priuata gratia vel odium permoueret. In bonis operibus fuit assiduus, quorum impedimenta laqueos vocabat Diaboli, & si quando afflictationum ingruebat tempestas, sustinuit patienter sciens modicum atque adeo momentaneum tribulationis ęternum glorię pondus in cœlis operati solere. Sensit aliquādo Matthias acerrimum duorum in se spirituum conflictum falsitatis scilicet & veritatis; videbantur enim illi omnes ab orco hæreses suscitatę ante oculos consistere, vnam Catholicam & Apostolicam fidem ac Ecclesiam impugnare, vnoque ore procaciter effutire; Nos ipsissima sumus veritas. Quo loco illud mox Beato viro in mentem venit, consueuisse semper Angelum tenebrarum sese in Angelum lucis transformare, vt eo facilius hominem irretitum laqueis teneat. Quare non aspectui subiectis fidem habuit figuris, nec ambulauit in mirabilibus supra se, sed auxilio à Domino qui fecit cœlum & terram implorato tanta gratiæ diuinæ vi & efficacia immissas suggestiones elusit, vt nullas amplius reliquæ vitæ Dæmonum technas ac fraudes fuerit expertus.

B. Matthias S. Theologia laurea donatus.

Lincopensis Canonicus.

S. Brigittæ à confessionibus.

Eiusdem & filiæ S. Catharinæ in Grammaticis & Musicis institutor.

Spiritu acer.

Benigna in eo grauitas.

Cessationem à piis operibus laqueum ratus Satanæ.

Conflictum acerrimum spiritu sustinuit, quo veritas Catholica oppugnari visa.

Quibus armis vicit.

Liber deinceps tota vita à Strophis Dæmonū.

Ad rem

Ad rem Diuinam in primis erat intentus & cum populo concionaretur in modum torrentis orationem fundebat, Plerumque enim commonendo, sępè suauissimè adhortando, nonnunquam etiam liberè obiurgando vel castigando leniter aut multorũ infirmitatibus condolendo omni prouidus enitebatur statui & negotio subuenire. Cũq; cõmentarium in vniuersa biblia conficeret, multa verbi Dei arcana mysteria præsertim in D. Ioannis Apocalypsi spiritus sancti instinctu meruit & ipsę percipere & alijs interpretando explicare; qui quidem commentarius Diuinis oraculis S. Brigittæ factis approbatus est. Complures etiam reuelationes D. Brigittæ dictante conscripsit eique prologum à se compositum præfixit, quæ omnia Archiepiscopo & duobus Episcopis transmisit. Verba pro concione quadam vice de more faciente armiger quidam instar furiosi in has desperationis prorupit voces: *Si anima mea cæli sedibus non potietur, viuat more bestiarum terreno pabulo & præsentibus oblectamentis contenta.* Quo audito B. Matthias & inepta garrientem temeritatis arguit, & in arrepto proposito contentius perstitit, populumque euidenter docuit animas beatorum à peccatorum reliquiis expurgatas clarè frui conspectu Dei. Miles autem temeritatis impietatisque suæ iustas dedit pœnas. Nam cum salutares monitus nauci faceret quarto post die nihilo mollior aut melior factus, mortuus est & sepultus, continuis aliquot noctibus auditus est ingeminare; Væ, Væ, ardeo, ardeo, donec vocibus importune vexatorum vxor monita sepulchrum eius aperuit vt alio forte corpus trãsferret, in quo præter calceos & panniculos quibus cadauer inuolutum fuerat nihil inuenit. Matthias vero laboribus, vigilijs ieiunijsque attritus mirabili quodam feruore animi in omni perfectione & vitæ sanctitate vsq; ad extremũ diem incessit. Obijt Stockholmiæ in Suecia anno incarnati Verbi Millesimo trecentesimo quinquagesimo, quo tempore D. Brigitta Romę consistens orando audiuit inspiritu vocem in hunc sensum dicentem *O fælix Magister Matthia pro corona quæ tibi in cælis præparata est: Sapientiæ flagrabas desiderio, nunc cum sapientia quæ nunquam exhaurietur fæliciter versaberis.* Illud hic relatu dignum quod constanti fama posteri memorant. Quotquot imperio Regis Gustaui (qui primus Quintum Lutheri Euangelium seductus admisit) adiunctum Cœnobio Dominicanorum templum vbi D. Matthiæ ossa quiescebant, demoliri sunt aggressi, vel graui morbo vel repentino casu erant oppressi.

In concionibus diuinus

Commentationes in vniuersam S. Scripturam scripsit.

Interpellatur in concione à temerario milite.

Miles temeritatis pœnas luit.

Cadauer in sepulchro non repertum.

Studium perfectionis in Matthia.

Obijt Stockholmiæ.

Obitus eius cõscia D. Brigitta Romæ.

De eo lib. 1. reuel. D. Brig. c. 3. & 25. lib. 5. interrogatione 16. in responsione quæstionis 1. lib. 6. c. 25. 89. & 90. extrau. c. 61. & 63.

PETRVS

PETRVS ARCHIEPISCOPVS VPSALIENSIS FLORVIT ANNO CHRISTI 1366.

VRBANO V. Pontif. CAROLO IV. Imper. ALBERTO Rege.



Gradus honorum & virtutes Petri.

ETRVS Scheningiæ in Ostrogothia pientissimis honestissimisque parentibus natus & singulari ingenio præditus industria sua ad summum eruditionis culmen peruenit. Nam ex Regni Cancellario Episcopus Lincopensis, ex Lincopensi mox Vpsalensis Archiepisc. & Regni primas factus quot felicis ingenij virtutumque meritis ornatus erat, totidem pœnè dignitatum titulis dignissime auctus pietate, humilitate & ardēti proximos iuuandi studio cum primis claruit, nusquam in bono opere remissus, quicquid Ecclesiastici negotiis gerendis ocij subducere poterat, id totum religioni & pauperum vtilitati impendit, quibus iuuandis nec vitæ nec bonis vnquam pepercit. Cruciatuum Christi contemplatione singulariter detinebatur & ad fortia designanda facinora accendebatur. B.M.V. peculiari coluit aspectu & vero eius vicissim patrocinia frequenter experiebatur. Crebris ad magnates & populum concionibus vberrimum fructum fecit, hos arguit, illos obsecrauit, alios vitiorum cæno demersos in apicem virtutum eduxit, alios probitati deditos sanctiores reddidit, multos Deo reconciliauit, multos illi addictos arctius copulauit. In omnibus autem seipsum præbens exemplum bonorum operum vti doctrina sana, ita integritate vitæ ac grauitate alijs præluxit, sed cū plurimos qui erant filij lucis mirum in modum sibi deuinctos haberet, filios tenebrarū quorum operibus inhonestis aduersabatur, reddidit offensos. Nec facile quis referre posset, quot ab ipsis ille fuerit impetitus calūnijs, quotq; diuexationibus agitatus; quæ tametsi vel fortissimū quemq; percellere potuissent, Petrum tamen à recto tramite nunquā dimouere valuerūt, nam vir prudens patientiæ protectus clypeo diuinoq; fretus auxilio, inuicto pectore atq; cōstanti pede tales seu inuidorū seu malignorum insultus cōpressit, solum Deum cui se totū deuouerat, cōmiseratque, præ oculis habens, satius pro Deo & veritate mori ratus, quā iniquitati vel minimū cedere. Nec interim spe sua frustratus est. Reuexit namq; Dei fauore gloriosam tantis de insectationibus victoriam, superataq; inuidia maleuolētia cæterisq; hostilitatis pestibus, multiplicia innocētiæ, constātiæ cæterarūq; virtutū suarū posteritati reliquit trophæa. Deniq; magnis laboribus pro gloria Dei & patria perfunct⁹, meritis clarus obdormiuit in Domino 18. Octobris anno salutis Millesimo trecētesimo Sexto supra sexagesimum.

Felix concionator.

Tolerantia insectationum.

Inuictum eius pectus.

De eo lib. 3. Reuel. D. Brig. c. 13. lib. 4. c. 12. lib. 6. cap. 12. Ioan. Mag. lib. 4. sua Metrop. & alij script. rerum Sueticarum.

S. HEM-

S. HEMMINGVS EPISCOPVS ABOENSIS FLORVIT ANNO CHRISTI 1367.

VRBANO V. Pontif. CAROLO IV. Imper. ALBERTO Rege.



EMMINGVS clarissimum puritatis speculum ab incunte statim ætate multiplicia futuræ sanctitatis edidit documẽta. Nam quas ætas iuuenilis studiose sectari solet vanitates, ille omnino execrabatur, nonnisi matura & sancta voluens animo, conuersatione scilicet in cœlis defixa; studiorum quoq; suorum non aliũ proposuit finem quam Dei & Ecclesiæ eius sanctæ obsequiũ. Quare in Ecclesiasticum cooptatus ordinem Vbsalẽsis & Aboensis Canonicus animarumque curator factus meruit cælesti reuelatione tempus natiuitatis D. Brigittæ cognoscere. Cum enim nocte quadam orationi vacaret, nubem lucidam & in medio nubis virginem sedentem ac librum explicatum manu tenentem vidit atque hęc proloquentem audiuit. *Nata est Birgero filia cuius admirabili voce mundus vniuersus personabit.*

Hemingus à puero vanitatum osor.

Studiorum finis laudabilis.

Canonicorum albo inseritur.

Eiortus S. Brigittæ diuinitus ostenditur.

Fuit vero Beato Hemmingo mira in concionando efficacia, qua dissolutos arguendo, pios obsecrando felicissime permouit, nulla eum flectebat personarũ acceptio, nulla fauoris humani vel auræ popularis opinio demulcebat: sed iuxta sermonẽ propheticum quasi plaustrum triturans montes terrenæ sublimitatis cõterebat. Ignis enim zeli Diuini quo pectus eius ęstuabat, nullis aduersitatũ procellis, nulla minarũ vl extingui potuit. Sic multos peccatorũ oppressos veterno excitauit in salutẽ, nec apud cõmissum sibi gregẽ solum, verũ etiã apud Reges & Pontifices Diuinę volũtatis interpres fuit laudatissimus. Omnes autem conciones suas à B. Virginis laudibus, cui tota vita deuotissimus extitit, inchoare solebat. Nullum tẽpus cuius iactura vel minima nullo precio æstimabilis incassum elabi sinebat, satis gnarus exactissimã Deo de tẽpore inutiliter exacto reddendã fore rationem. Colloquia vana fugiebat: Verbum inane vel risu dignũ effluebat; eiusq; præsentia tã chara erat omnibus & iucunda vt odorẽ Christi vndequaq; efflaret. Domesticum hostem tanto periculosiorem quanto

Efficax concionator.

Zelus diuinus.

Conciones à B. V. laudibus orsus.

Tempus illi pretiosum.

Colloquia vana fugit.

quanto blandiorem carnē assiduis vigiliis & dura inedia edomabat. Præter consueta.n. Ecclesię ieiunia ipse ad ampliorē carnis coercitionē & arctiora perfectę vitę exempla subditis demōstranda sese macerabat victus tenuitate;& inter mensæ cupedias quasi alter Tantalus plusquā seuerus in se censor viles & insipidos cibos lege sibi talis obseruantiæ indicta manducauit. Nec solū pronę carnis molitiones repressit, & eius illecebras refrænauit, verum etiā exteriores sensus per quos in animam sicaria mors irrumpit, summa vigilantia custodiuit. Quocirca mulierum aspectū familiaritatesq; & productiora cum iis colloquia quæ sunt multis occasio ruinæ studiosissime declinauit: identidem cum Dauide precatus: *Auerte oculos meos Domine ne videant vanitatem.* Ad Episcopatum vero Aboensem euectus vir in Dei timore solide fundatus solitis virtutum officiis nequaquā supersedit: Imo v. tum impensius Diuinæ seruituti totum se mancipabat; vt qui se tunc demū agnosceret velut in specula excubitorē, aut super monte Ciuitatem, subditis, vel custodiæ, vel exēplo esse propositum. Cum Propheta sancto diligebat decorem Domus DEI & loca habitationis gloriæ eius, & ea propter Cathedralem Eccl. multis iisq; preciosissimis auxit ornamentis; in eaq; Præpositura beneficium fundauit dotauitq; prædiis ac possessionib. peramplis. Suspēdebatur multoties tanto contēplationis excessu eius animus vt supra semetipsum raptus, & diuinius quid humano sensu delibās, quid circa se gereretur exterius, prorsus ignorauerit. Cum sic virtutum stadium perfecte decurrisset Hemmingus, placuit altissimo agonothetæ ad æternæ beatitudinis brauiū eum maturius vocare, ne mala genti suæ impendentia, quæ iam D. Brigitta diuino oraculo prędixerat, conspicaretur. Igitur visione cęlesti de obitu suo certior factus cum in oratione positus esset animam creatori suo reddidit intaminatam anno ab incarnatione Domini 1307. post 60. ætatis suæ 70. cum annis 20. munus præsulare gessisset.

Acer carnis propriæ domitor. *Sensuum custodia vigil.* *Mulierum familiaritates euitauit.* *Episcopus fit Aboensis.* *Decorem domus Dei dilexit.* *Eius piæ Ecstasis.* *Visione cælesti obitum suū cognouit.*

De eo lib. 4. reuel. S. Brig. c. 1. 2. 5. & 130. extrau. c. 51. 85. 104. & 113. Bonifacius IX. in Bulla canonizationis D. Brig. Chron. Episcoporum Aboensium & alij Scriptores rerum Sueticarum.

SANCTA

SANCTA BRIGITTA VIDVA FLORVIT ANNO CHRISTI 1371.

Gregorio XI. Pontifice.
Carolo IV. Imperatore.
Alberto Rege.



Ancta Brigitta è Regno Suediæ oriunda non tantum parentes habuit tam coram Deo quam coram mundo illustres & potentes; verum etiã auos, proauos & abauos excellentes legis Diuinæ tum inquisitores tum executores, perstudiosos ad sacras peregrinationes procliues aliorumque piorum operum auidos frequentatores, quinimo omnis cognatio eius & stirps quemadmodum olim B. Thobię bonam vitam & sanctam conuersationem sectata est adeo vt tam Deo quam hominibus & cunctis vicinis vbicunque tandem morarentur accepti & chari essent. Auus eius & proauus atque abauus paternus Abrahæ & aliorum virorum sanctorum exempla secuti quamuis diuites essent, vt eo ditiores in virtute euaderent, peregrini esse in hoc mundo voluerunt eoque libentius à terrestri patria spontaneum subiuerunt exilium, quo citius ac tempestiuius cælestis patriæ conscriberentur inquilini. Vnde sacramenta dominicæ passionis ad memoriam reuocantes peregre profecti sunt in Ciuitatem sanctam Hierusalem & ad alia loca quę Iesvs Christus corporali præsentia sua illustrauit, idque non sine multo sumptu & labore. Eorum autem & exitum & introitum Dominus clementer custodiuit. *S. Brigittæ progenitores generę & in Deum religione illustres.* *Sanctæ peregrinationes obiuerunt.*

Sed & Pater S. Brigittæ Birgerus seu (vt Suecanum vulgus loquitur) Berillus illorum vestigijs insistens multa loca sanctorum puta S. Iacobi Compestellam & alia mari Australi adiecta religiosissime inuisit paratus etiam vlterius proficisci ad Terram sanctam, nisi Apostolicæ sedis consilio propter causas rationi consentaneas retardatus fuisset. Idem ipse singulis sextis ferijs peccata sua sacerdoti humiliter confiteri solebat sæpissime illis vsus verbis; Ita me qualibet sexta feria comparare volo, vt quidquid mihi cæteris diebus Deus imposuerit æquo animo perferre possim. Identidem animo repetebat admonitionem illam sapientis. *Non tardes conuerti ad Dominum & ne differas de die in diem.* Hunc laudabilem morem filius eius quoad vixit est imitatus, qui etiam ex homologesi facta secreto acerrimis flagellis tergum suum cecidit, vt pa- *Pater S. Brigittæ Compostellam inuisit, a terra Sancta retardatus.* *Quauis sexta feria S. Exhomologesin obiit.* *Pie dictum & bonum factũ. Filius Israele ius pium Patrentis exemplum amulatur.*

ratus in flagella Christum flagellatum in suo glorificaret corpore & cum vitijs & concupiscentijs iugiter crucifigeret carnem suam.

Matris S. Brigitta religio. Mater quoque D. Brigittæ Sigridis, generis ne an religionis fulgore clarior fuerit dubium, multas extruxit ecclesias & pro magnificentia sua amplissimos eidem dotis nomine reditus assignauit. Porro ingressus B. Birgittæ sponsæ Christi in hunc mundum fuit velut quoddam diluculum diei peramænæ indicium diuinitus præparatum. *Naufragium patitur grauida.* Nam cum adhuc gestaretur vtero accidit vt mater eius in quodam maris sinu naufragium faceret, cumque multi vtriusque sexus submergerentur, Dux Regni Henricus Regis Suediæ frater videns illam in periculo versari, modis omnibus quibus potuit eam viuam ad littus perduxit. Eadem autem nocte illi astitit persona quædam veste lucida induta dixitque ad eam. *Salua euasisti propter bonum illud quod vtero gestas inclusum. Itaque cum enixa fueris nutri illud in Dei amore, sciens singulari munere id tibi Diuinitus esse donatum.* *S. Brigitta ortus diuinitus reuelatur Sacerdoti.* Nata autem puella sacerdos quidam vicinioris Ecclesiæ vitę integræ & prouectæ ætatis, qui postea factus est Episcopus Aboensis in Suedia inter orandum nocte vidit nubem lucidam eique insidentem virginem manu sua librum complexam. Cumque quidnam visum portenderet hæsitaret, audiuit vocem eiusmodi; *Nata est Birgero filia cuius vocem mirabilem totus orbis exaudiet.* *Triennio muta permanet.* Ab ipso autem Ortu suo fere triennium permansit elinguis infantula, nec vllum edidit sermonem vt iam tunc quantum esset silentium amatura & sermones suos in iudicio positura præsignaret. *Eo finito perfecte loquitur.* Sub finem vero triennij, tam perfecte loqui cæpit vt iam non infantium balbutientium more, sed contra eius ætatis vsum absolute sua verba enunciaret. *Mater eius obitum suum prædixit.* Interea mater eius Eleemosynis & bonis operibus semper dedita morbo corripitur & aliquot diebus ante prædixit obitum suum. Cum iam esset migratura de corpore, maritum suum & alios eius vehementi dolore ex eius abitu consterhatos admonuit, erexit, recreauit. *Quid ita doletis? aiebat, sufficiat hucusque prorogasse vitam, gratulari potius mihi debetis, si me diligitis, quod ad meliorum consortium amicorum, tametsi & vestri nunquam obliuiscar, imperio Domini, commigrem.* *Pie moritur.* Inde accitis filijs cum omnibus valedixisset obdormiuit in Domino. Ea defuncta, filiola eius Birgitta à patre tradita est nutrienda materteræ suæ matronæ insigni prudentia & religione. *S. Brigitta septennis cælesti visione fruitur.* Et cum septennis fere esset vidit quodam tempore euigilans, è regione lectuli sui altare & super illud Dominā quandam splendidis vestibus indutam manu sua magni precij coronam ferentē ipsique dicentē. *Birgitta veni, surgenti illi & ad aram properanti, Visne inquit habere Coronam hanc?* Illa libenter annuēte imposuit eā capiti eius, ita vt sentiret puella caput suum tāquam circulo quodā ambiri; Sed cum ad lectulum redijsset,

redijsset, visio illa disparuit cuius tamen nunquam potuit obliuisci, singulari voluptate quæ illam consecuta fuerat perfusa. Deinde annum ætatis decimum ingressa instar purissimi lilij totius honestatis candorem retinens, & ab illecebris labentis mundi ad cælestium pulchritudinem sese erigens mundiciem animi & corporis ceu thesaurum absconditum conseruabat. Abundauit in ea totius forma virtutis, sobrietas cum modestia, simplicitas cum verecundia, humilitas cum obedientia, iucunda conscientia, hilaris patientia, charitas indefessa. Decimo ætatis anno cum in templo sermonem de acerbis Christi cruciatibus perattente audiuisset, nocte sequenti vidit in somnis Christum quasi ea hora crucifixum sibi dicentem. *En vt cruciatus sum.* Illa rata recenter illi tam crudelia inflicta vulnera Ecquis, ait, istud fecit Domine? subiecit Christus; *Omnes vtique qui meam gratiam aspernantur & tantæ charitati respondere negligunt.* Tum illa ad se reuersa vsque adeo deinceps fuit affecta erga passionem Christi vt eius mysteria raro sine lachrimis ad memoriam potuerit reuocare.

Adolescentiæ puritas.

Christus ei apparet cruci affixus.

Mysteria passionis cum lachrymis recolit.

Duodennis facta otium perosa cum puellis quidem coætaneis acu telas pingebat sericum & aurum inducens; animam autem pijs cogitationibus occupabat; ita vt sæpius operi intendere non posset Dei contemplatione identidem abstracta. In quo exercitio visa est aliquando à circumstantibus assidere illi virgo quædam ignota, eam in eo opere adiuuans. Interrogata deinde quænam ipsi assedisset, respondit, se neminem conspexisse. At matertera eius opus quod tum præ manibus habuerat attentius considerans, aduertit artificium maius puellari ingenio vel facultate, crediditque diuinitus potius elaboratum fuisse, quod proinde inter sacratiores reliquias fideliter asseruauit. Eadem matertera nocte quadam eius cubiculum latenter ingressa inuenit eam cæteris dormientibus in silentio ante lectum suum seminudam adorare cum lachrimis crucifixum. Suspicata autem leuitate quadam puellari id fieri, virga eam percussit, sed ea in minutissimas partes confracta dissiliit, tum admirabunda exclamat: Quid egisti Birgitta? Num te vanæ mulierculæ superstitiosas edocuere preces. Illa cum lachrimis respondit; Non domina mea sed surrexi è lecto vt laudarem eum qui mihi in omnibus opitulatur. Quis ille? matertera sciscitante: Crucifixus est inquit illa quem pridem conspexi. Ab illa ergo die matertera eius cœpit eam & amare impensius & amplius venerari.

Manuum labori intenta animus Deo vacabat.

A B. Virg. adiuuatur in laboribus.

Noctu crucifixum Christum adorare consueuit.

Non diu post ludentibus puellis Birgitta sociata vidit Diabolum tanquam centimanum, & centipedem horrenda specie deformem. Perterrita igitur cucurrit ad lectulum suum vt humiliter se CHRISTO commendaret.

Terretur à Dæmone sibi apparente.

Oratione illū fugat. mendaret. Vbi rursus ei teter ille spiritus apparens; Nihil possum inquit nisi permittat crucifixus. Animaduertens autem pater eius quod *Patris voluntate licet inuita nubit Vlphoni de Vlfaso.* virgo iam nubilis, velut altera Esther, posset generi suo magnum adferre splendorem & dignitatem, & instar parui fontis in maximum excrescens fluuium, plurimis aquis redundare: ipsam licet summopere in virginitatis proposito permanere cupientem cuidam adolescenti diuiti, illustri, cordato & prudenti despondit. Erat is Nericiæ Legifer & Vlpho de Vlfaso dicebatur. *Annum & amplius continentes viuunt.* Vixerunt autem post initum matrimonium annum vnum & eo amplius, vsu illius sibi prorsus interdicto, obnixe interim Deum obsecrando vt si secundum eius placitum mutuis amplexibus perfrui deberent, talem eis prolem donaret quæ ipsius seruitio perpetuo mancipare tur.

Postquam iam inter se conuenerant, semper in quadragesima & diebus solennibus & qualibet sexta feria à carnali copula abstinebant, quo tempore illa clam inducta vestibus extra lectum cubabat in pauimento vel assere tapete instrato. Porro ambo simul spiritu Dei illos gubernante matrimonium honestissime coluerunt, & tam Deo quam hominibus chari in venusta morum integritate & maturitate fœlices habuere progressus. Filios suos Birgitta cum multa sollicitudine & diligentia educauit, eosque ceu aquila prouocans ad volandum pullos suos & super eos volitans, vnguibus castigationis & sanæ doctrinæ radijs solis iusticiæ obiecit; adhibens illis præceptores qui eos in fide & *Apparet ei S. Ioan. Baptista.* moribus instruerent. Apparuit quandoque ei Beatissimus Ioannes Baptista & ait: *Quandoquidem plorasti quod filius tuus offendit me non obseruato ieiunio in peruigilio festi mei mallesque eum seruire mihi quam Regia dignitate excellere, idcirco ego illum adiuuabo & armis meis communiam.*

Loca, leuitates & personas omnes vnde illi posset aliqua nota aspergi declinabat, semperque honestas ancillas & comites omni morum honestate conspicuas apud se retinebat; ne cuipiam obtrectandi occasionem præberet; & quia à primordijs ætatis suæ diuina erat gratia ornata, & diuini amoris calore incesa, sursum toto desiderio ferebatur in Deum & ardentissime cœlestia meditabatur, ne quam autem Sathanæ tentan- *Ocium summopere vitat.* di materiam offerret, ab ocio valde abhorruit, bonisque & sanctis exercitijs semper vacans nunc operi manuum incumbebat cum famulis suis Diuino cultui & proximorum vtilitati profuturo, nunc sanctorum vitas & sacra Biblia quæ Gothico idiomate sibi scribenda curarat, lectita- *Ecclesias & sacra loca visitat.* bat; nunc Ecclesiarum limina frequentabat Diuinisque officijs sedula intererat, nec indulsit teneræ complexioni corporis; sed suaue ac delectabile illi videbatur pedibus suis obire monasteria & Ecclesias primarias tum ob indulgentias siue condonationes promerendas, tum ob audiendas

audiendas Doctorum virorum conciones. Ieiuniјs quoq; vigiliis & orationibus frequenter intenta, docebat carnem parere spiritui, atq; à delicatioribus escis abstinentiã obseruabat: quod tamen ea cautione faciebat vt à marito & aliis nõ aduerteretur. Semper aũt absente marito, veste dura & aspera tam interdiu quã nocte corpus affligebar. Iã vero infirmorum, morbidorum & pauperũ felix & inclyta mater eleemosynas largissimas omnibus egẽtibus præstabat. Habebat aũt spaciosas ædes pauperib. deputatas & in illis fæminas quæ illorum ministerio semper occuparentur, Sed & ipsa cum multa humilitate nõ raro illis inseruiebat, pedes abluebat, & osculabatur, Quandoq; in partu ea periculose laborãte, matrona quędam candidissima veste induta visa est ad eam ingredi, singula iacentis membra cõtrectare. Quod vbi perfecisset & ex oculis disparuisset, illa mox sine vlla difficultate prolẽ incolumem edidit. Hanc ipsam Beatã Virginem Mariam fuisse postea per reuelationem intellexit. Maritus autem eius cum esset vir strenuus & potens & ex præcipuis Regis Consiliarijs perspecta tanta eius virtute & gratia, sacris & salutaribus delectabatur illius sermonibus & consilijs, ita vt spretis omnibus mundanæ vanitatis honoribus & pompis ab aula Regis prorsus se subduceret, suauique iugo Domini se totum humiliter submittens, quicquid esset æquum & iustum, quicquid bonis moribus & honestati cõsentaneum, in gloriam ac laudem Dei efficaciter exequi conaretur. Didicit vero etiam à B. Birgitta legere preces horarias B. Matris Dei. Ambo igitur seruientes spiritu vt se liberius à mundi vanitatibus expedirent, patria sua relicta non sine multo labore & sumptu profecti sunt in Hispaniam ad S. Iacobum, & tandem multis peragratis sanctorum locis cum iam essent in reditu, maritus cæpit apud Arrebates deteriori valetudine laborare. Increscente autem morbo cum B. Birgittam magni tenerent angores, S. Dionysius consolatus est, videndum se ei exhibens his præterea verbis affatus: Ego sum Dionysius, qui ab vrbe Roma in Gallias veni prædicare verbũ Dei: Tu ergo quæ singulari mihi deuotione afficeris, noueris quod per te velit Deus innotescere teq; meæ curæ commissam esse; Cuius rei hoc accipe signum quod maritum tuum deinceps videbis sanum. Transactis inde aliquot eo in loco diebus vidit in spiritu admiranda quædam quemadmodum itura esset Romam & Hierosolymam & è corpore migratura.

Pauperũ magna curam gerit.

B. Virgo adest parturienti.

Suscipit peregrinationes cum marito ad S. Iacobum.

S. Dionysius ei apparet Atrebati.

Rursus aliquot euolutis diebus cum vir eius conualuisset in patriã redierunt, ipsaq; Deo dilecta maritum suum sanctis adhortationibus perfectius cum Deo vniuit, & tũ precibus tum exẽplis suis ad perpetuæ cõtinentiæ studiũ perduxit. Cumq; votũ ille nuncupasset Deo quod Monasticũ vellet viuẽdi genus arripere, octo liberis procreatis diu seruata cõti-

Maritus fit monachus.

nentia in Monasterio Aluastra Ordinis Cistercensium feliciter conuersatus vltimum diem obijt. Eo defuncto sancta & pudica matrona mūdo longū valere iusso, facultatibus suis inter liberos distributis habitum mutauit & vitam, fecissetq; maiora, nisi peregrinari diuinitus fuisset iussa. Vidisses deinde eam quasi alteram Iudith virtute castitatis insignem, erga proximum officiosam, piam erga Deum, & quemadmodum Apostolus docet vere viduam & desolatam spem suam in Domino collocantem. Cum autem quodam tempore plus satis anxia esset, de mutatione status sui vt Deo liberius seruire posset, mentis ecstasim passa vidit nubē luculentam & ex nube vocem audiuit. *Ego sum Dominus Deus tuus qui tecum loqui volo, tu eris sponsa mea, & canalis meus.* Iis verbis illa territa quod reformidaret illusionem rursus audiuit: *Noli timere quia ego sum conditor omnium, non impostor, nec tua vnius causa loquor sed propter salutem multorum: Audi ergo quæ ego loquor & deinde refer ea ad Magistrum Mathiam, qui ex mea gratia & sua experientia didicit spiritum veritatis à deceptore Spiritu discernere.* Huic Mathiæ de quo suo supra loco commemorauimus B. Birgitta in omnibus obediuit, quemadmodum ei tum diuinitus præceptū fuit, cum cælestes primum cępit habere reuelationes, specialiter vero à Deo obtinuerat, vt annis viginti octo postquam gratiam reuelationis accipere meruit, nihil vnquam egerit, nullibi pedem posuerit vt morata fuerit nisi monente eam spiritu Dei.

Ad secundas nuptias non accessit vsa con silio Apostolico 1. Cor. cap. 7.

1. Timot. 5.

Rapta in Ecstasi loquitur Dominus.

Doctor Mathias spiritualis pater S. Birgittæ.

Instituit autem nouum Monasticum ordinem, & Regulam siue Canonem ex ore Christi ipsi eum dictantis conscripsit, quem Monialibus Cænobij Vuastenæ seruandū reliquit. Interim propter subitariam vitæ mutationem, & habitus vtilitatem, à Nobilibus vitā eius non alio quam insanæ loco habentibus contemnebatur; sed illa hominibus dicere huiusmodi solebat: *Nec propter vos incæpi, nec propter vos desistam, statui autem apud animum meum verba hominum tolerare. Orate tamē pro me vt perseuerare queam.* Ita istos expediebat probe gnara nec malam conscientiam sanare laudantium pręconia, nec bonam lædere vituperantium conuicia.

Nouus ordo S. Birgittæ ex ore Christi institutus.

Triginta annis ab obitu mariti vestibus lineis vsa nō est, nisi dūtaxat in capitis velaminibus sed aspero induta cilicio carnem suā macerabat. Ante lectum suum iusserat poni tapetū simplex vel pallium & puluinar exiguum pro capite sicq; cubare solebat. Interrogata quinā sic somnum capere posset in acerrimis frigoribus quibus eæ Regiones aquilonares rigent; respondit *Ego tantum intra me sentio ardorem vt frigus externum non magnopere curem.* Nocte ac die toties flectebat genu, toties sese inclinabat & osculabatur humum, vt mirum videretur tā nobilem & teneræ habitudinis matronam tantos potuisse perferre labores. Sextis feriis consueuerat ardentis cerei stillas ignitas in nudam demittere carnem: ita vt vulnetum

Cilicio vtitur.

Non sentit frigus præ animi ardore.

Seipsam varie mortificat.

nerum vestigia relinquerentur, quæ si sua sponte ante proximam feriam nonnihil curata essent: suis vnguib. ea lacerans renouabat, ne corpus eius vulnerũ afflictione vacaret. Habebat etiã nodosa & asperrima ligamina corpori circũdata quæ neq; noctu neq; interdiu à se remouit. Qualibet sexta feria propter saluatoris passionẽ & fellium potum ipsi in cruce oblatum herbam amarissimam gentianam ore retinebat; idque itidem alijs qui[illegible] diebus faciebat, si quod verbum incõsiderate protulisset. Et quia *Attende eius* spreta mundanæ lætitię falsa pulchritudine, cor eius intolerabili mortis *humilitatem* Christi acerbitate perfusum erat, non absurde dicere potuit cum illa pręclara vidua Noemi. *Ne vocetis me pulchram sed vocate me amaram, quia amaritudine valde repleuit me omnipotens.* Obedientiæ adeo studiosa fuit vt nullibi esse voluerit sine actionum suarum moderatore. *& obedientiã.* *Ruth. 1.*

In facienda confessione humillimam & ad quamuis satisfactionem quæcunque sibi iniungeretur promptissimã se exhibuit. Ab infantia pro *Crebro confitetur.* more habuit singulis sextis ferijs confiteri peccata sua, postea tamen ea frequentia non contenta quolibet die etiam leuicula verba & cogitationes iudici suæ conscientiæ detexit. Ex obedientia in domibus Monasterio Aluastriæ vicinis & contiguis morabatur non vt aboleret Canonem Monasticum illis fratribus præscriptũ, nec vt nouum quendam morem, cũ ipsa esset mulier, eo inueheret, sed vt opus Dei mirabile eo in loco certius ostenderetur. In illo Monasterio frater quidam fuit ex iis rei domesticæ adiutoribus quos conuersos vocant, Gerekinus nomine qui intra *Gerechinus* annos quadraginta nunquam de Monasterio fuerat egressus, sed die ac *conuersus sanctissimus.* nocte intentus orationi eam à Domino obtinuerat gratiam, vt nouem angelorum ordines inter orandum quasi continenter videret, & sub eleuatione hostiæ Christum in forma puerili crebro conspiceret. Cum autẽ S. Birgitta ad illud venisset monasterium illic moratura, hic frater secum tacitus admirabatur dicens. Cur hæc Domina in Monachorum cænobio residet contra regulam nostram nouam huc consuetudinem introducens? Raptus igitur in spiritu audiuit vocem perspicue dicentem: Noli mirari est enim hæc amica Dei atq; ea causa huc venit vt in hoc monte flores colligat, è quibus etiam multi vltra mare & in extremis orbis partibus degentes accipient medicinam: puta Teutones & alij populi in oriente, occidente & ad austrum positi. Ita in hac reuelatione præsignatum est multos in hisce locis degentes aduersum exitialia peccatorum vulnera medicinam ex dictis S. Birgittæ præsentem hausturos. Præterea vidit idem frater Beatam Birgittam à terra eleuatam & de ore eius latices fluminis instar erumpentes dictumque est illi; *Hæc mulier à finibus terræ veniens innumeris gentibus propinabit Sapientiam. Et hoc erit tibi signi loco quod ipsa indicabit tibi finem vitæ tuæ exultabisque in aduentu & sermonibus eius*

nibus eius citiusq; complebitur desiderium tuum, vt non videas mala quæ illaturus est Deus domui isti quod & euētus cōprobauit. Prior quidā Dominicanus ægre poterat adduci vt B. Birgittæ reuelationibus fidem commodaret. Is cum aliquando dormiret vidit ignem de cælo in eam descendere. Stupefactus ea visione putabat sibi illudi. Itaque expergiscens rursus obdormiuit viditque ignem illum ex ore B. Birgittæ prodeuntem multos circa illam stantes inflammare simulque audiuit vocem dicentem: *Quis prohibere potest ignem hunc, vt non egrediatur. Ego enim Deus omnipotens mittam hunc ignem ad orientem & occidentem ad Aquilonem & Austrum & incendet multos.* Deinceps Prior ille fidem reuelationibus S. Birgittæ habuit easque tuendas suscepit. Huius fratris fit mentio sexto libro reuelationū capite 30. Duobus fere completis annis Christus apparuit & B. Birgittæ laborem suscipiendæ peregrinationis imposuit his eam familiariter affatus: *Proficiscere Romam ibi enim plateæ sunt inæstimabili auro instratæ Sanctorum vid. sanguine rubricatæ, ibi propter condonationes siue indulgentias, quas promeruere sancti compendio venitur ad cælum. Manebis autem ibi donec videas summum Pontificem & Imperatorem.* Quo Christi mandato accepto illa vtpote obedientissima nullas nectere moras ausa, sed confestim aures auditui accommodare, linguam voci, pedes itineri, manus operi, totam se in nutus colligere vt mandatum conficeret imperantis. Egressa igitur è paterno solo crebris est diuinitus cōsolationibus recreata. Cū Romam venisset summa cum deuotione & assiduitate nec mediocri labore visitabat loca sanctorum nec facile colloquia miscens inter eundem nisi forte interrogata esset & cum verbis paucissimis sciscitanti satisfaciebat.

Visiones cuiusdam, de Reuelationibus S. Brig. dubitantis.

Nota Christi de Roma testimonium.

Studium paupertatis eius.

Paupertas voluntaria adeo illi cordi fuit, vt omnes res & facultates suas cuidam commiserit dispensandas, & quoties aliquid inde vel in suos vel in aliorum vsus conuerti cuperet, cum summa humilitate in nomine IESV Christi id sibi dari petierit, perinde ac si nusquam eas possedisset. Solebat autem in eiusmodi petendis rebus aliorum qui cum ipsa erant vtilitatem suæ anteferre, & propriam celans indigentiam orare vt illis præberentur necessaria, licet ipsa plus cæteris eorum egeret: vt quia frequenter necessarijs destituebatur, non obscuro se proximū pure diligere propter Deū, indicio. Post annos aliquot iussa diuinitus est ire Neapolim, & in Siciliā. Quod cum fecisset à Regina Siciliæ multisq; nobilibus propter minime fucatā Sāctitatē est aucta & honorata adiutorijs & muneribus.

Honorifice accipitur in Sicilia.

Visitatis autem in Sicilia locis sanctorum, Neapolim venit vbi moram fecit & instar purissimi speculi virtutum de se exempla omnibus exhibuit: intrepideque doctos pariter & indoctos verbis & exēplis ad viam veritatis & probitatis reuocauit. Reuelationem quoque ipsi factam de populo Ciuitatis illius ipsimet Archiepiscopo doctis Theologis aliisque

Clericis

Clericis & laicis sapientibus exponens absque metu quemlibet sui officij commonefecit.

Post annos multos cum Romæ frequentius solito sanctorum limina visitasset, Vnigenitus Dei filius præcepit vt iret Hierosolymam. Prætexente illa incommodam valetudinem & ætatem Dominus respondit: *Ecquis est naturæ conditor? ego addam tibi vires, ego prospiciam de itinere, ego te ducam & reducam in locum hunc. Denique ego ero custos tuus quocunque perrexeris nec dimittam donec compleuero vniuersa quæ dixi.* Veniens Hierosolymam mira audiuit à Domino de statu Regnorum, de natiuitate & passione eius, & de vocatione gentium.

Hierosolymam ire iubetur.

Admiranda de regnorum statu à Domino audiuit & prædixit.

Porro loca omnia in quibus pro peccatoribus pati voluit Dominus Jesvs ipsa religiosissime visitauit, & quasi columba nidificans in foraminibus Petræ, suauitatem vulnerum eius meruit degustare, & diuinis animi illustrationib. crebrius afflati. Ante autem quam Hierosolyma rediret febri & stomachi infirmitate laborare cœpit, eamque terra & mari inter labores & dolores suos integrum annum patientissime tulit.

Cant. 2.

Febri & stomachi doloribus per annum peregrinando laborat.

Vbi Romam reuertit morbus inualuit cuius tandem vi extincta est. Quinto ante obitum eius die rursus apparuit ei Dominus Jesvs ad altare quod erat in conclaui eius iucunda facie & corporeis eius oculis spectandum se præbens eique dicens. *Perinde tecum egi atque sponsus solet subducens se aliquantisper à sponsa vt ardentius ab ea desideretur. Non te pro more interuisi, diuinis consolationibus quandoquidem tempus erat quo probareris. At nunc probata satis procede & præpara te. Tempus est enim vt sicut pollicitus tibi sum coram altari meo Monastico habitu induaris, & deinceps non modo sponsa mea, sed etiam monacha & mater in Vastena voceris. Attamen scias te corpus hic Romæ posituram donec veniat ad locum ipsi præparatum. Placet mihi finem vt imponas laboribus, accipio voluntatem tuam pro opere quod meditaris.* Deinde subiunxit; *Quinto abhinc die mane sumptis sacramentis conuoca sigillatim quos tibi indicaui, & facienda illis demanda, atq; ita venias ad Monasterium tuum id est in gaudium meum, porro corpus tuum Vastennam asportabitur.* Ex his licet animaduertere B. Birgittam dum esset in corpore Monastico habitu indutam non fuisse, neque illius ordinis vestibus quem ipsa instituit: sed emigrantem à corpore, à Christo sponso suo accepisse eiusmodi habitum incorruptibilem, sicut ei in reuelationibus suis promiserat. Itaq; quod plerumque S. Monialis habitu depingitur, id est, voti potius quam facti argumentum. Neque enim monialium amictum dum vixit induit; attamen expetiit veste huiusmodi vestiri qua nunc Moniales Ordinis eius vtuntur, eam vero fulgentiorem accepit in cœlis.

Christus ei apparet ante mortem.

Deus bonam voluntatem pro opere accipit.

Die quinto subortũ solis Christus iterum ei apparens consolabatur eam. Missa celebrata perceptisq; sacramẽtis inter manus earũ quas paulò antè

Felicissimè exiit è corpore.

antè diximus ſpiritum reddidit piiſſimo ſaluatori quem viuens toto corpore amauit. O ineffabilem increatæ ſapientiæ benignitatem eos qui concupiſcunt eam præoccupantem, quibus prior hilariter ſe poſſidendam fruendamque offert. O ſponſæ ſingularem gloriam quam ſponſus in fide & miſericordia ſibi deſponſans verbis blandiſſimis conſolatur. O felicem nimium, quæ poſt multiplices toleratos labores exantlataſque ærumnas, in pulchritudine pacis, & requie opulenta commoratur. Felix obitus eius non obſcuris argumentis declaratus eſt; Quidam enim bonæ & venerabilis vitæ vidit quandam adornari lecticam, & à perſonis candidis veſtibus conſpicuis in ſublime ferri, dictumque eſt illi admiranti: *Perſona quam in hoc lecto cernis ſponſa Dei eſt, quæ in mundo contempta à multis nunc tranſit de morte in vitam ſempiternam.* Eadem autem hora illa obijt. Porro corpus eius ſumma cum laude ad monaſterium S. Laurentij deportatum & illic honorifice ſepultum eſt. Obiit Anno ſalutis Milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo tertio, Decimo Calendas Augusti. Anno autem proximo, poſt multorum miraculorum coruſcationem, oſſa eius ab Vrbe Romana, multis per viam ſanctitatis editis argumentis, ad monaſterium Vaſtenenſe duodecimo Iulii die, cum ingenti populorum frequentia & gaudio, per ſanctam filiam eius Catharinam translata ſunt. Vbi miris ſignis, & multifariis miraculis eam ornat & illuſtrat DOMINVS JESVS CHRISTVS. Præſtatur cæcis viſus, ſurdis reformatur auditus, muti loquuntur, paralyticis membra diſſoluta confirmantur, & vt paucis multa expediam, morbidi omnes deuote illuc CHRISTVM inuocantes meritis ſponſæ eius ab eo curantur. Id vbi innotuit Imperatori, Regibus, Reginis, Prælatis & Principibus multiſque diuerſarum nationum Chriſtianis apud Romanos Pontifices multis modis inſtiterunt, vt Brigittam in Sanctorum Album referrent. Denique ad Bonifacium Nonum re tota deuoluta, cum is de integro accuratiſſime in eius vitam & geſta inquiri curaſſet, ad eius Canonizationem vt vocant ſolennem proceſſum ſtudium conuertit, eamque de conſilio & conſenſu Cardinalium & Prælatorum omnium, qui tum in Romana Curia verſabantur, Sanctorum Catalogo adſcripſit. Dies autem translationis eius tota Suecia celeberrimus ſeptimo Octobris agebatur.

Anno 1373. Translatio eius.

Multa ad eius ſepulchrum miracula.

Sanctorum Catalogo adſcribitur.

Cum ſint autem innumera fere miracula beatiſſimæ Birgittę, nos pauca duntaxat annotabimus.

Eunte illa ab Vrbe Roma Hieroſolymam, Latinus de Vrſinis, pro magna erga illam beneuolentia & animi deuotione, extra vrbem non paruo itineris ſpatio illam deduxit. Poſtquam ergo Hieroſolyma Romam rediit, cum confeſſario ſuo Domino Petro adiit Latini ędes: cumque in

Valde ei ſatent peccato mortifero obnoxij.

quę in eas ingressa esset, manu ad nates admota, nihil loquebatur. Sciscitante illo ab eius confessario, quid id sibi vellet, respondit: Te non tam rectè animo constitutum inuenit, atque tum etas, cum à te recederet. Admiratus dominus Latinus: Ecquid, ait, designaui? Verum quidem est habuisse me litem cum quibusdam subditis meis.

Ibat quandoque Sancta Birgitta Romæ cum filia sua Catharina & Petro confessario & Magno Capellano ad ædes Iordani de Marino, volens inuisere eiusdem Iordani vxorem. Qua præsente, tantum ex actibus eius sensit fætorem, vt vix ferre posset. Admirante ea causa non mediocriter Magno, & è Petro confessario eius percontante, quid hoc sibi vellet, ille respondit. Noueris pro certo quandocunque coram ea quispiam mortifero peccato obnoxius stat, aut loquitur fraudulenter, aut quo Deus offendatur, illam mox sentire immodicum sulphuris fętorem.

Cum esset Sancta Birgitta in quadam Cypri vrbe, postquam Hierosolymam discessit, fama illic ferebatur, habere eam certas quasdam reuelationes de Cypri Regno. Erant autem per id tempus in Cypro monachi quidam carnales potius quam spirituales, inflati scientia, & spiritu vani. Ii irridebant & detrahebant beatæ Birgittę, tanquam fieri non posset, vt per eiusmodi sublimes reuelationes loqueretur DEVS cum indocta muliercula. In iis erat frater Simon Dominicanus Confessarius Principis Antiochiæ, patrui Regis Cypri, qui insignis Theologus & Astronomus habebatur, nosseique cursus syderum & planetarum, sed non seipsum. Is venit ad domum, in qua erat Beata Birgitta, non rectè tum corpore valens. Cæpit itaque sub ouina specie verbis blandis eam compellere, præsente Domino Alphonso & aliis, percontarique ex ea de gratia cœlestium visionum, quas ipsa diuinitus haberet. Illa columbina simplicitate respondit ad omnia humiliter & simpliciter: sed interim tantum fætorem ab illo proficisci sentiens, vt vix posset subsistere. Ipsa quoque si quod verbum incaute protulisset, aut parum aliquid in factis suis sæculatiter se gessisset, ingentem fætorem sulphureum & magnam amaritudinem in lingua & gutture suo sentiebat. Prædixit ventura mala euentura Cypro & eius ciuitati Famagustæ propter hominum peccata, quæ etiam postea vti prædixerat euenerant.

Simon quidam Theologus arrogans, male de ea sentit.

Prædixit mala euentura Cypro.

Circa Ecclesiam Lateranensem Romæ multos conspiciens peregrinos, vnum ex iis vidit tenentem puerum infirma valetudine, & eleemosynam petentem: dixitque ei: Quomodo ausus es tenere hunc puerum, quem tu, cum sit Iudæi filius, furatus es? Audiens ille, obstupuit, & in pedes se coniicit: retentus autem à circumstantibus, dixit palam cunctis audientibus, puerum illum Iudęum esse, & se eum

Arguit quendam furti.

se eum furatum esse. Accepit autem Sancta Birgitta puerum ad se, curauitque eum baptizari anno CHRISTI millesimo tricentesimo sexagesimo.

Sanat dæmoniacum.

In regno Suediæ militem quendam à dæmone liberauit. Dicebaturis Ioannes Stobernus, & apud Ostrogotthos iuri dicundo, vel sontibus puniendis præerat.

Roganti Sanctæ Birgittæ pro Algotio Dominicano S. Theolog. Doctore, qui iam senex orbitate oculorum & calculi doloribus cruciabatur, responsum est: Ille stella micans est, nec expedit sanitate corporis obscurari animam eius. Certauit & cursum consummauit: nihil iam superest, nisi vt à me coronetur. Et hoc sibi signum erit, quod ab hac hora, mitescent dolores corporis eius. Iam enim anima eius prorsus ardet igne diuini amoris. Non diu post Theologus ille è vita decessit.

Febrem hecticā pellit à puero.

Puer quidam decem annorum, nomine Esau, nepos magni Senescalli, Reginæ Siciliæ, Neapoli degentis in aula eiusdem Reginæ, hectica febre adeo fuit confectus & exhaustus, vt medici de tota vita eius plane desperarent. Eum mater eius Lappa duxit ad Sanctam Birgittam suppliciter eam deprecans, vt puerum tangeret, aut saltem Crucis signum illi imprimeret. Mox illa puerum tetigit, & tactum repentina salus consecuta est.

Filium Carolum à morbo liberat.

Carolus Miles filius S. Birgittæ, Romam è Suedia venit anno 1365. vt autem in ædes fuit ingressus, in quibus mater degebat, ascendente eo in solarium, mater eius è cubiculo suo egrediens, vidit illum corpore non recte valere. Tetigit itaque pectus illius, quædam orationis verba pronuncians, confestim ille multum vomuit sanguinē, ita vt loqui non posset, & restitutus est.

Cum S. Birgitta esset Hierosolymis, quidam Franciscanus, qui erat Reginæ Cypri à Secretis, & cum S. Birgitta à Famagusta Hierosolymam venerat, humiliter eam rogauit, vt pro ipso Dominum instanter deprecaretur, quo certum ipsi modum & rationem ei seruiendi ostenderet.

Reuelatio diuinitus ei facta.

Oranti S. Birgittæ Christus apparuit, & quandam ei reuelatione ostendit, quemadmodum Sanctus Franciscus regulam à Christo acceperit, & vt primi fratres eius secundum illam sanctè vixerint: atque vt diabolus eum ordinem contaminarit: postremo quę gloria maneat in cęlis regulę illi cōuenienter viuentes, quę pœna apud inferos illam transgredientes. Hanc reuelationem cum ille Franciscanus legisset, mox vbi Famagustam rediit, libros, vasa argentea & aurea, aliaque ornamenta & pecunias suas distribuit pauperibus, deinceps victurus in sanctæ regulæ obser-

obseruantia. Dicebatur is Antonius ab Aragonia: postea vero factus est guardianus in Bethleem. Habetur hæc reuelatio lib. 7. cap. 20. & eam obtulit dominus Alphonsus Gregorio XI.

Fuit etiam beatæ Birgittæ diuinitus facta reuelatio de Abbate quodam, cuius erat vita exitiosa. Dixit ei Christus minitabundus: Tu Abba debebas esse speculum monachorũ, & ecce caput es meretricũ. Debebas esse exemplum pauperum & sustentator inopum: & ecce ex eleemosynis magnum te dominum exhibes, potius habitans in castris, quam in monasterijs. Debebas esse Doctor & verus pater fratrum tuorum: & tu illorum seductor es & vitricus. Te in delicijs & pompa versante, illi afflicti murmurant tota die. Sed nisi resipueris, deponam te de castris, & nec cum infimis fratribus tuis habebis consortium, nec ad patriam, vt tibi persuades, redibis tuam, nec in meam ingredieris. Ea quidem omnia postea illi Abbati ita acciderunt. *Habetur in extrauag. c. 105.* *Attendant hūc locum Abbates huius temporis.*

Cum esset S. Birgitta Romæ, & quodam die propter stationem loca sacra inuiseret, casu inuenit pauperculam fœminam quandam è regno Noruegiæ, ante S. Praxedis Ecclesiam solam iacentem, prope semimortuam. Miserta illius cæpit tentare ex multa humilitate, num posset ipsa eam ferre ad domum hospitalem S. Antonij. Sed cum non posset, voluit vt dominus Magnus Capellanus eius iuuaret ipsam: atq; ita ambo simul deportauerunt eam ad domum illam: Cuius præfecto numerauit ipsa pecuniam, vt curam eius gereret. Interim crebro visitabat eam, donec eatenus curata fuit, vt iam commode posset per vrbem incedere. Postea vero cum eam acciuisset ad ædes suas, re accuratius inuestigata, comperit eam laborare morbo comitiali. Itaque feruenter pro illa orans, ad collum eius pie admouit aliquot lapillos sui, vt vocant, rosarii, ad quos preces dicere solebat. Mox illa reualuit, nec vnquam eum morbum deinceps experta est, licet diu superuixerit. *Eius in feminam pauperculam humanitas.* *Ecce iam Rosarij & granorū eius, quæ heretici abiiciunt.*

Monachus quidam Ordin. Cistertiensis, Robertus nomine, præ immodica abstinentia mente captus fuit. Oranti pro eo S. Brigittæ Christus apparuit dicens: Homo conductus fuit vt vineam coleret; cumque haberet multorum dierum negotium, ille ductus cupiditate pecuniæ, vt totam mercedem vno die lucraretur, vsque adeo se confecit labore, vt in morbum grauem incideret. Tum vero magna ex parte vinea mansit inculta, cum ille nullum laborem ferre posset. Sed opere cessante, merces ei persoluta non est. Ita accidit huic Roberto, pro quo tu deprecaris: verumtamen hoc incommodo is liberabitur, quod etiam euenit postea.

Habuit S. Birgitta cursorem quem dæmon arripuit, sed ea illum ab homine profligauit. *Pellit dæmones ab obsessis.*

Item in Regno Suediæ fæminam dæmoniacam ipsi oblatam, pristinæ sanitati, cum ei signum crucis impressisset, restituit.

Expulit etiam dæmonem è domo quadam, multa aduentantibus responsa dantem, multaque prædicere conantem, hominumque res occultas prodentem.

Quidam per incantationes capiebat multos pisces. Eum S. Birgitta hortabatur, vt à nefario opere cessaret. Sed ille spernens admonitionem eius, mortuus inuentus est.

Fratrem etiam quendam, ex dæmonis tentatione immodica fame laborantem, curauit.

Capellanum suum capite laborantem sanat.

Capellanum suum, grauissime dolentem caput, tactu suo sanauit.

Multa alia & in vita & in morte, quæ prope fidem excedere videantur, operata est, quæ vitandæ prolixitatis causa omittimus.

De ea Scriptores rerum Sueticarum. Birgerus Archiepiscopus Vpsalen. Surius 23. Iulij Volateranus lib. 21. Geographiæ, Trithemius in Chronicis, Polidorus lib. 7. c. 14 ad finem Anton. Cordub. lib. 10. Quæst. 9. 44. in 4 prob. sex. com. Petrus Canisius lib. 1. de B. Virgine c. 2. Michael Medina lib. 2 de recta in Deum fide. Nicolaus Sanderus lib. 6. Visibilis Monarchiæ num. 1046. Alphon. Mendosa in quodlibet 9. 5. Martinus del Rio, Tom. 2. lib. 4. c. 1. 9. 3. Sect. 4.

S. CA-

S. CATHARINA VIRGO ET VIDVA FLORVIT ANNO CHRISTI 1381.

VRBANO VI. Pontifice.
VENCESLAO Imperatore.
ALBERTO Rege.



ENERABILIS à Deo dilecta Catharina Patre Vlphone viro Nobili & matre Birgitta quam omnis celebrat Ecclesia in hanc lucem edita est, Quæ cum adhuc in cunis versaretur futuræ ſanctitatis eius inditia non obſcura diuinitus oſtenſa ſunt. Nam adhibita per matrem nutricis vbera ſugere noluit laſciuia & vitæ eius turpitudine vt poſtea coniectum fuit abſterrita. Porro ſanctæ matris ſuæ & aliarum pudicarum mulierum vbera citra horrorem ſugebat, ab incontinentibus fœminis cum lachrimis & vagitu prorſus abhorrebat. Poſtquam autem ablactata eſt ſancta mater eius tradidit illam religioſe inſtituendam Abbatiſſæ Riſabergenſi cuius erat ſpectata vitæ integritas. Accidit interea vt Abbatiſſa nocturnas preces Deo offerente puellam Catharinam dormientem, malus Dæmon ſumpta bouis cornupetæ ſpecie è lectulo cornibus excuteret & ſemiuiuam proſterneret in pauimentum. Edente illa gemitus miſerabiles repente accurrit Abbatiſſa ſemiuiuam in ſuo reponit ſinu: apparet illi etiam teterrimus Dæmon, & ô quam libens inquit illam præfocaſſem niſi fuiſſet à Deo repreſſa facultas. Cum ſeptimum ætatis annum ageret perſuaſa à puellis coætaneis quadam vice cum illis cœpit pupparum ludo operam dare. Sed quia ad maiora à Domino parabatur, illam tantillæ ætatis puerilem vanitatem non paſſus eſt abire impunitam, ne animum eius tales ineptiæ vt plerumque ſolent, diſſoluerent.

Eius parentes.

Infans laſciuæ nutricis vbera ſugere recuſat.

Traditur cuidam Abbatiſſæ inſtituenda.

Dæmon illi infeſtus.

Permiſit igitur vt proxima nocte valde infeſtos ſentiret Dæmones: videbat enim in ſomnis multos impuros ſpiritus in pupparum ſpecie ad ſuum venire cubiculum. Cumque ad eam acceſſiſſent è lectulo extractam atrociter flagellarunt ita vt toto corpore liuida cerneretur. Mox igitur huiuſmodi ludis & vanitatibus longum valere iuſſis, deinceps ſe nullis prorſus ludentibus miſcuit: imo contra illius ætatis ingenium quandam præ ſe morum ferebat maturitatem.

Cæditur à Dæmonibus.

Vbi ad nubiles peruenit annos voluit pater vt maritum quæreret.

Illa cum paternę voluntati reluctari non auderet multa in Deum & Christi sanctissimam matrem seruandæ integritatis fiducia nixa non omnino recusauit. Nupsit ergo viro prænobili Eghardo, sed ita nupsit vt ipsum quoque sponsum ad nuncupandum Deo castitatis votum diuina impellente gratia adduxerit. Ambo igitur continentiam interposito iureiurando Christo consecrarunt, & deinceps in Domino castissime pariter degentes sub pompa sæculari sancta quadam calliditate hosti pudicitiæ illuserunt, nam ne caro insolesceret cum qua nobis est bellum intestinum quando sanctis precibus genu flexionibus & vigiliis defessi quieti se dabant supra pauimentum cubiculi locis distinctis aliquo strato panno vno sub capite ceruicali contenti cubarunt, eam toto anno etiam hyeme somni capiendi seruarunt consuetudinem.

Nubit Eghardo quem ad votum castitatis inducit.

Solebat vero Sancta Catharina castissimo coniugi suo crebro referre virtutum exercitia & aspere viuendi rationem, quam ipsa in sanctissima matre sua Birgitta partim viderat, partim ab aliis didicerat, vt ipsi quoque huiusmodi sanctis exercitiis insisterent. Porro vt carnem in seruitutem redigerent vigiliis & precibus etiam ieiunia adiungebant: Christique amore non modo sibi ab escis vetitis, verum etiam à plerisque licitis temperauit. Nouerant enim quanta sit frugalitatis virtus; quippe quæ vitam producat, castitatem tueatur, Deum concilier, profliget Dæmones, illustret intellectum, animum confirmet, vitia expugnet, carnem edomet, Diuini amoris gratiam in hominis pectus inuehat. Fœlix plane horum coniugium quod non fœda carnis libido, sed syncera in Christo dilectio copulauerat. Et coram Deo quidem instar liliorum suaui redolebant fragrantia castitatis: porro inter proximos virtutum exempla & gratiam bonæ famæ ac optimæ existimationis odorem expirabant. Erant vero in eorum familia homines vitæ spiritualis omnino rudes, qui quod non saperent ea quæ sunt spiritus facile pietatis studiosissimam heram Catharinam superstitionis apud Carolum ipsius germanum insimularunt.

Exemplum matris proponit.

Carnem edomat.

Frugalitatis virtus vtilissima.

Coniugii vera fœlicitas.

Superstitionis S. Cathar. insimulatur.

Iis delatoribus aure assensuque præbito statuit dictorum veritatem experimento cognoscere. Clam igitur in eorum cubiculum ingressus vtrumque coniugum seorsim laneis iisque asperis indutum vestibus spreta lecti mollitie humi cubare deprehendit. Quod cum ipsi mouisset stomachum coniuges illos sanctissimos tanquam fatuos & superstitiosos obiurgauit, minime tamen effecit vt vllis vel reprehensionibus vel obtrectationibus vel irrisionibus à continentiæ & abstinentiæ studiis retraherentur.

Carolus eam cum viro obiurgat incassum.

Sed quia carnis continentia sola non sufficit nisi etiam animus sit impollutus & à superbię fætore alienus: Venerabilis ancilla Christi Catherina

Animi demissio in illa.

Catherina demissionem animi & sui contemptum firmissimum suæ pudicitiæ præsidium adhibuit. Et vero quæ antiquitus in iis Regnis vestium simplicitas viguerat cæpit tunc maxime apud nobiles in fastum pompamque vergere. *Abiicit pomposas vestes.* Qua in re nihil de suo statu humilitateque Sanct. Virgo remisit contenta prisca patriæ consuetudine nullis artibus adduci potuit vt ad sectandum luxum vestium animum aduerteret. Vnde id factum quod eius exemplo multæ cognatæ & primariæ nobilitatis permotæ fœminæ alioquin ad elegantiam cultus propensæ vanitate illa supersederint. *Eius exemplo multæ fœminæ nobiles proficiunt.* In iis fuit fratria quæ licet initio Catherinæ monitis & moribus pertinaciter aduersata fuisset, nihilominus tamen postea vitam in melius commutauit. Cum enim in Calmariensi Vrbe in sacello Deiparæ coram ipsius effigie ambæ orarent pariter & somno aliquantum indulgerent, illa Caroli correpta vxor videre sibi visa est Diuam Virginem aduentantem, Catherinam quidem comi & blando vultu aspexisse, in se vero in primis toruos coniecisse oculos; postmodum vultum penitus auertisse. Itaque multum anxia cum quid consilii caperet nesciret, voce flebili Dei matrem compellare orsa: Cur me, inquit, adeo indignabunda despicis Domina mea? faciem condis? cur te oculis meis subducis? Cui illa respondit. *Etiam me rogas; quæ ita surdis auribus consilia mihi dilectæ Catherinæ excipis vt illis morem gerere abnuas? Si tu eius exemplo & monitis habitum moresque tuos correxeris à me quoque blandiorem obtutum mereri poteris.* Illa ad se reuersa rerum visarum & auditarum non immemor illico fastuosis vestium repudiatis ornamentis ad sanctæ Catherinæ exempla se composuit. Id vt vidit maritus eius Carolus qui adhuc totus erat fluxæ pompæ deditus his turbato animo verbis sororem suam Catherinam incessit. Non sat erat vt te nobis monacham exhiberes nisi meam quoque Coniugem tui sequacem efficeres & omnibus videndam propinares. At sancta virgo exprobrationes & insultationes æquo ferebat animo: Porro ob recte facta & præsertim obseruatam in matrimonio virginalem pudicitiam laudari se adeo moleste ferebat vt id non solum testaretur lachrimis, verum etiam talium secretorum obsecraret conscios, ne quicquam in posterum huiusmodi publicarent. *Non fert se laudari.*

Non multum intercepit temporis ab inito coniugio cum pater eius Dominus Vlpho Gudmarson in senectute bona diem in Claustro Aluastrano religiose clausisset, ibidem honorifice tumulatus. *Obitus Patris eius.* Sancta Brigitta coniunx eius cœlesti monito Romam peregre profectionem adornabat, solicita interim de fideli suæ peregrinationis socia, quę ipsi in negotijs arduis opportunę opi esset, à CHRISTO iussa est bono

esse animo se ipsi fidam itineris comitem & optatam laborum sociam, quam etiam peculiari sua fauoris gratia esset præuenturus pollicente.

Incredibili Romam adeundi desiderio ardet. Itaque cum iam quinquennium fere præterijsset postquam Sancta Brigitta è Suedia Romam venerat incredibili Romam adeundi desiderio ardere cœpit Catharina filia eius. Nec latebant Eghardum eius suspiria immensa causamque rei insolitæ ex ea sciscitante quid agitaret animo, Catherina non reticuit. Ille vero sciens animi eius constantiam eam diuinitus perurgeri recte arbitratus eius pio proposito, licet tenerrime illam diligeret, non est ausus obniti. At nihilominus veritus nequid fœminę tanti decoris & florentis ætatis (annum enim decimum octauum necdum exegetat) in tam longinqua profectione aduersi accideret, non ilico eius voluntati morem gessit. Victus tandem illius precibus & religionis metu, sumptus itineri necessarios idoneosque comites instruxit.

Frater propositum eius impedire conatur. Iam nihil nisi è patria excessus expectabatur, & ecce Carolus Catharinæ frater ira percitus minas atroces intentat Eghardo si permittat sororem ipsius ire peregre. Commodum tum domo aberat Eghardus & litteræ Caroli in manus Catherinæ venere quæ suspicata quod erat litteras pro confidentia resignans, legit, minasque fratris ad auunculum suum Israelem virum potentem multaque in DEVM pietate & prudentia insignem retulit. *Ab auunculo obfirmatur animus.* Is iubet eam ob fratris minas à proposito non discedere, promittit se iram illius facile sedaturum. Addidit verbis humanissimis etiam munera vt maturius proficisceretur. Mox igitur se dat itineri cum Domino Gostauo Thunasson Marsalco Suediæ & alijs duabus Suediæ nobilibus matronis.

Catherina Romam venit. Mari non sine multa difficultate transmisso per Germaniam iter habuere in Italiam, atque tandem Augusto mense Romam Catharina peruenit. Agebat tum sancta mater eius Bononiæ quo Christus eam cuiusdam Abbatis & fratrum eius admonendorum causa direxerat. Erat cum illa D. Petrus Olaus pater eius spiritualis & pauci è familia. Huius profectionis ignata Catherina matrem diebus octo anxie Romæ quæsiuit. Interim D. Petrus Olaus inurgeri cœpit quibusdam insuetis animi stimulis vt Romam rediret. Assensit licet inuita Sancta Brigitta & ille celerrime proficiscens. Vbi Romam venit in æde Sanct. Petri Catharinam comitesque eius offendit: quam cum humanissime salutasset eius causa reditum se maturare in vrbem fuisse compulsum nihil dubitauit, sequenti die cum illa & socijs eius ad matrem est profectus. Omnes à Bononiensi Abbate qui Sanctæ Brigittæ sanctis exhortationibus iam ad meliorem se frugem receperat honorifice accepti sunt.

ſunt. Sed poſt dies paucos hortante matre Catharina cum ſuis Romam reuiſit, & cum multa pietatis ſignificatione frequentare ſtationes & limina ſanctorum inuiſere cœpit. Deinde exactis Romæ aliquot ſeptimanis in patriam reuiſere conſtituit, cumque iam ad iter accincta eſſet mater ex illa percunctata eſt vellet ne eum ipſa Romæ manere & CHRISTI cauſa labores & aduerſa quæque perpeti. Tum illa tota inflammata ſpiritu reſpondit, ſe non modo patriam, cognatos, amicos, diuitias & delicias, ſed ipſum quoque Eghardum quem vita ſua chariorem haberet pro CHRISTI voluntate & amore libenti animo relicturam. Vbi igitur conſenſit matri, Chriſtus ei reuelauit illam ipſam eſſe fidelem adiutricem quam ei quondam promiſiſſet. Adiecit etiam ſe illam multis auctiorum gratiæ muneribus. Et certe ab eo tempore quo reſoluto animo ſignificauit ſe cum matre permanſuram mirabilis ipſi à Deo collata eſt eloquentia ita vt etiam apud Principes & eruditos viros de ſcripturis diuinis præclare diſſereret. Atque ipſe etiam Romanus Pontifex Vrbanus VI. cum aliquando coram ipſo & Cardinalibus verba faceret vſque adeo eius miratus eſt ſapientiam, vt ei familiariter diceret. Reuera filia tu bibiſti de lacte matris tuæ.

Roma ſacra loca inuiſit.

Eloquentia & ſapientia eius.

Porro autem non diu poſt horrere nonnihil cœpit inſolitum viuendi modum & memor libertatis priſtinæ multum anxia rogauit matrem vt liceret ipſi redire in Suediam. Senſit ſancta mater eius tartarei hoſtis fraudulento impulſu id fieri & diſſimulans ad CHRISTVM ſe conuertit precibus ei negotium commendans; à quo reuelatione accepit obijſſe Eghardum maritum filiæ quam etiam commoneri præcepit ne deinceps matrem deſereret. Hoc vt illa percepit ſubmiſit ſe quidem humiliter diuinæ voluntati nec tamen ceſſabat tortuoſus ſerpens ei ob animi oculos repræſentare natalis ſoli delicias, & licet eas ratione & voluntate reſpueret, tamen cum ei eſſent perniolestæ & importunæ ſatanæ vexationes à matre ſibi petijt rurſus adhiberi remedium. At illa quæ iam eiuſmodi inſultus victrix ſuperaſſet opportunum filię carnali adhuc affectione laboranti remedium adinuenit, moleſtum ſane carni & ſanguini ſed à quo ipſa quoque Catherina non omnino abhorreret, Curauit enim eam aliquoties virgis cędi donec omnis illa ſathanę machinatio inſtar fumi euanuit. Non enim potuit ſuperbus Dęmon tantam ferre humilitatem, ſed tanquam ipſe eſſet flagellatus impatiens ignominię aufugit. Per id tempus Romanus Pontifex Auinione reſidebat, prębuit ea res improbis multis occaſionem prędas agendi Romę & multa contra fas attentandi adeo, vt peregrini & tenuioris ſortis homines illorum audacia & importunitate abſterriti

Tentatur à Satana.

territi ad promouendam indulgentiarum gratiam ſtationes obire ne vnquam auderent. Quod periculum maxime ætate ac formæ elegantia præſtantibus fœminis impendebat. Quę res in cauſa fuit vt etiam S. Brigitta Catherinę filię interdiceret ne ſine frequenti comitatu ſacra loca inuiſeret. Itaque matre cum ſuo confeſſario ad ſtationes & indulgentias abeunte, illa dies non paucos cum ſuis ancillis hęſit domi. Adeſt rurſus Sathan & acerbas in eius animum cœpit cogitationes immittens tanquam alijs ſuarum animarum lucra captantibus ipſa inſtar bruti animantis ab omnibus ſpiritualibus bonis arceretur. Addebat his eius cognatos fratres & ſorores in patria cum ſumma tranquillitate Deo ſeruire, ipſam vero miſeram ducere vitam: pręſtare igitur ne in lucem quidem editam fuiſſe quam id genus inertem vitam viuere. Erat hæc ſanctæ virgini permoleſta tentatio adeoque eam mærore & perturbatione impleuerat, vt matri poſtquam reuerterat quid ſibi ſiniſtri accidiſſet, ſciſcitanti ne quidem loqui ſe poſſe reſponderit. Et certe iam plane inſtar cadaueris facies eius expalluerat & oculi introrſum acti. In tantum ei moleſtus erat Dæmon id genus importuniſſimis ingerendis cogitationibus. Cæterum nocte proxima inſomnis viſa ſibi eſt videre totum mundum quaſi inflammatum, ſeque in medio ignis poſitam, in parua quadam planicie deſperabundam poſſet ne ab illis flammis eripi: tum vero comparente Beatiſſima Maria virgine, ſe his illam verbis deprecantem: Adiuua me chariſſima Domina mea: Illam vero reſpondentem audire: *Et qua te poſſum ratione iuuare quæ adeo intempeſtiuo patriæ teneris deſiderio, oblita ſponſionis tuæ neque Deo, neque mihi, neque matri tuæ, neque patri ſpirituali ſatis obſequens;* Cum vero damnata inconſtantia ſua, offerret ſe illi promptam ad omnia exequenda quæcunque Dei mater mandaret, demum hanc ſubiungentem: *Obedias igitur matri tuæ, & patri ſpirituali te facilem exhibe.* Expergefacta inde Catherina matrem cum omni humilitate celeriter adijt. Veniam ſuæ leuitatis petijt promiſitque ſe deinceps ad mortem vſque libenter in exilio cum ipſa perſtituram.

Rurſus eam tentat hoſtis.

Viſio illius.

Volens igitur Sancta Brigitta eius ſaluti tutius conſulere ne fortaſſis materna indulgentia remiſſius ageret, Dominum Petrum Confeſſarium ſuum virum ſanctiſſimum & multiplici ſancti ſpiritus chariſmate cumulatum, multis eo adegit precibus, vt Catherinam filiam ſuam obedientiam ipſi polliceri pateretur, Et fecit id tunc Catharina, adeoque præſtitit quod promiſerat, vt nihil omnino abſque illius permiſſu facere voluerit. Munita igitur ſanctæ obedientię virtute, quam non ignorabat nihil non poſſe promereri apud Deum, ſpiritualis exercitii militiam accuratius complexa fuit, & corpori ſuo ſubiugando fræna

Promittit obedientiam Confeſſario.

caſtitatis

castitatis arctius adhibuit, nequa ratione in lethiferæ voluptatis consensum prolaberetur. Nam tametsi etiam in matrimonio existens virgo integra permansisset, non poterat tamen non timere ætati lubricæ præsertim cum probe sciret, quid fraudis iuuentuti ipsius malitiosus veterator struere posset. Posuit igitur Deum altissimum refugium suum, illum obnixe deprecans, vt vires contra insidias inimici sufficeret. Cumque sabbato quodam sacram esset sumptura Eucharistiam, ipso sacerdote audiente ita fere precabatur: Redemptor piissime qui hoc corpus de virgine intemerata accepisti, & in cruce atrocissime nostri causa distendi voluisti, Obsecro te indigna peccatrix, ne me sinas vllo contemerari peccato. Et quia militem egregium in hac vita mortali habui custodem pudoris mei, illo iam vita functo alium mihi adsciscere volo sanctum Sebastianum, militem cum primis strenuum & martyrem tuum sanctissimum, eiusque oro vt me curæ committere digneris. Hæc & alia vt dixit, sacram accepit Eucharistiam tantaque precum eius fuit efficacia vt deinceps à multis periculis non sine miraculo eam constet præseruatam fuisse. Vixit autem sub matris cura haud secus atque in Monasterio habuitque Confessarium Diuum Petrum Olaum cuius salutaribus consilijs prompte se accommodabat. Matris quoque vitam & mores ob oculos statuebat, didicitque ab ea certis temporibus arctioribus frenis cohibere linguam, non ignara, quanta bona ex silentio, quam innumera mala ex loquacitate promanent. Cum ab alijs interrogaretur, pauca & rationi consentanea respondebat: Porro de ijs quæ pertinent ad implendam Dei voluntatem & ad eius exequenda præcepta coram omnibus præsertim inopibus & peregrinis humiliter quidem, sed tamen copiose disserebat obseruans illud sapientis cuiusdam. *Omnis enarratio tua sit in præceptis altissimi*. Romæ degens pauperes & peregrinos humaniter fouebat, permultos è patria eo aduentantes tum eleemosynis, tum suaui & familiari sermone recreabat, hortans eos ad patientiam & Christi IESV amorem, crebro id inculcans vt assidue memores essent acerbissimæ passionis eius & à Dei præceptis nequaquam deflecterent. In iis vnus erat pauper & peregrinus quem crebro ad se accire solebat, prælegens ei aliquid ex sacris Euangeliis siue de vitis sanctorum, Diuina quoque præcepta ei exponens & ad vitanda septem illa mortifera peccata summopere illum exhortans. Is postea cum ea reuersus in patriam in monasterio Vasthenensi frater conuersus vt vocant factus bonam Christo militiam militauit, multaque laude digna de eius sanctitate fratribus referre consueuit.

Eius precatio.

Eccles. 19.

Eius humanitas erga pauperes & peregrinos.

Cum adhuc Romæ ageret viuente matre etiam in ætate iuuenili (puta annos habens non amplius viginti) morum fuit grauitate spectabilis

In iuuentute moribus maturam se exhibet.

inuisere. Vna etiam Dominus proficisci voluit Catharinam filiam, promittens se à cunctis ipsas infesti dæmonis machinamentis erepturum & in itinere ab omni periculo seruaturum immunes. Abeunt igitur Assisium nec desunt comites. In ipso autem itinere cum die quodam hospitium commodum nocte impendente attingere non possent, ad quandam peruenerunt pauperem cauponullam, & ægre à caupone admissę inter angustas eius tugurii latebras, vt ab imbribus & niue corpora vtcunque tuerentur, sese condiderunt. Ecce autem nocte media, multi eo lattones accurrunt, accendunt ignem, vultus omnium inspiciunt, & capti pulchritudine Catharinę obscenos sermones iactant, eiq; vim afferre constituunt. Quibus tum illa pudica mens correpta fuerit angoribus quis explicet? Iam omne aberat humanum pręsidium, vnnm solum supererat, vt precibus Domini misericordiam implorarent. Quod cum ex imo animi affectu facerent: exauditur mox sonitus tanquam aduentantis magni cuiusdam exercitus, armorumque strepitus, voces item varię clamantium & hortantium comites ad capiendos illos perditos latrones. Quibus illi mirabiliter consternati fugam dederunt, nec ausi eo fuere ea nocte reuerti. Manè vero Sancta Birgitta cum filia & reliquis comitibus susceptum prosequitur iter. Ibi rursus adsunt scelerati homines, vt quod nocte efficere nequiuerant, clara luce designarent, suamque explerent libidinem. Et illi quidem viam ab vtraque parte obsederant, sed percussi cæcitate eas confisas Deo illac secure transeuntes videre nequiuerunt. Ita ergo diuina fretę protectione Assisium peruenerunt, vbi Diuinis cum essent recteatæ consolationibus, Romam denuo reuersę sunt.

Patitur latrones infestos.

Latrones occacantur.

Cernens autem Catharina tam euidentia erga se Diuinæ bonitatis indicia vt præpotenti Deo posset magis magisque placere, virtutum cæterarum fundamentum puta sanctam humilitatem vsque adeo sectata est, vt non modo sibi ipsi vilesceret sed vellet etiam ab alijs vilis haberi & nihili pendi. Et quamuis eius præclara extarent vitæ merita nequaquam tamen ab alijs sibi sanctitatem voluit attribui, sed potius non alio quam peccatricis haberi loco. Ab illa vero interna animi submissione proficiscebatur exterior illa sui abiectio atque humiliatio, verbis & corporis habitu cunctisque actionibus declarata. Nec ferre æquo poterat animo vt à quoquam laudaretur, laudem omnem suorum recte factorum illi trāscribi satagens quem sciebat bona omnia in nobis efficere & operari. Charitate quoque in Deum fuit eximia & vt omittamus eam ab infantia preces horarias Diu. Virginis, Septem Psalmos quos pœnitentiales vocant, multaque alia quotidie priusquam se quieti daret, expedire solitam fuisse, diebus singulis continenter horas quatuor humi geni-

S. Catharinæ eximia humilitas.

Precibus diuitissime incumbit.

humi genibus defixa, manibus pectori tundendo admotis, lacrymis vbertim manantibus Dominicæ passionis memoriæ impendebat, totamque se eidem Domino in holocaustum consecrabat. Denique nocturnis ac diuturnis fessa laboribus somno membra permisit sed non valde diuturno. Nam semper admodum mane surgens redibat ad preces in silentio quotidianum Deo sacrificium impendens; nec ante meridiem nisi vrgeret necessitas à sanctis occupationibus desistebat. Orauit quodam tempore Romæ ante aram S. Ioannis Euangelistæ in æde maiori D. Petri apparuitque illi fæmina peregrina alba induta veste, præcincta balteo, album ferens in capite velamen & pallio atro operta. Accessit autem celeriter ad virginem salutansque eam nominatim, supplex rogauit vt pro anima Noricæ Deum deprecaretur. Sciscitante autem Catherina cuias esset respondit se Suedam esse vxoremque fratris eius Caroli obijsse. Tum virgo vt ædes matris suæ adiret rogauit. Illa vero id sibi licere negauit, porro breui ipsas habituras non parum subsidii è patria affirmaut. Noricam enim eis auream capitis sui coronam legasse iterumque repetebat vt fideliter pro anima illius precarentur, sicque disparuit. Admirans autem Catharina rogabat ancillas quonam abijsset matrona illa, Responderunt illæ se quidem audiuisse vocem cum ipsa loquentis sed neminem vidisse. Stupens igitur, matri suæ rem indicauit cui oranti reuelatum fuit, migrasse è corpore Gudham Vxorem Caroli eiusque animam petendæ opis causa filiæ apparuisse. Non multo post venit è Suedia Ingeualdus Amundsson familiaris Catharinæ qui ei & obitum indicauit Gudhæ & Coronam attulit auream quam pro more patriæ in capite ferre solebat; Erat enim ex nobiliori Noricorum stemmate orta. Fuit autem tanti precii corona illa vt ad totius anni victum Sanctæ Brigittæ & filiæ Catharinę totique earum familię suffecerit. Solebat vero Catharina Domino preces oblatura locum secretum expetere vt cor suum Domino tanto liberius posset effundere.

Anima vxoris Caroli apparet ei & petit pro se orari.

Fuit sane tanta erga proximos præsertim inopes & ægros beneuolentia & commiseratione vt ipsa quoque illud merito vsurpare posset Sanct. Iob. Ab infantia mea creuit mecum miseratio. Solebat enim sanctissima eius mater adhuc tenellam secum ad domos hospitales & nosocomia ducere, & illic ipsa inspectante miserorum plagas, vulnera & vlcera sine horrore suis manibus amanter contrectare: multa quoque eis conferre beneficia & blandis eos sermonibus consolari: vt filia eius exemplo disceret per omnem ætatem eis similia impendere humanitatis officia. Erant quidem nonnulli qui piam matrem reprehenderent, quod filiolas suas teneras ad id genus loca perduceret, veritæ nequid

Iob. 13.
S. Brigittæ pietas erga morbis afflictos.

ne quid eis aduersi ex fætore accideret; at illa respondit ea causa se id facere, vt filiæ Christo in persona morbidorum & egenorum seruire discerent.

Et certe filiæ eius Catharinæ materna tum dicta tum exempla adeo pectus penetrauerant, vt erga pauperes & afflictos summa semper afficeretur misericordia eosque tum sermonibus tum beneficiis liberaliter confoueret. Solebat vero etiam clam noctibus matri in duro pauimento cubanti tegmen capitis sui supponere dolens venerabilem Dominam tam duriter se habere. Et quia animi deuotionem vel maxime impediunt, mundi & carnis desideria, ea tanquam virus pestiferũ summopere conata est, profligare, vt posset pro modulo suo Christo conformari qui cum Diues esset propter nos egenus factus est, humiliauit semetipsum: paupertatem & abiectiorem viuendi rationem vltro complexa est, mundique calcatis diuitiis, voluptatibus & pompis, imo ipsa quoque propriæ voluntatis abdicata libertate, alteri se per obedientiam subiecit, & exilium posthabitis amicorum solatiis ipsa patria charius habuit, vt posset dilectissimo Domino suo & rebus cœlestibus animi intentionem liberius affigere. Hanc vero eius voluntariam sui abiectionem munificus ille castarum mentium Sponsus CHRISTVS IESVS etiam in hac vita in gloriam commutauit. Nam cum aliquando quædam nobiliores matronæ peterent à matre eius vt permitteret ei cum ipsis animi causa in suburbana egredi, idque ob illarum insignem probitatem mater annueret, vbi ad vinearum macerias ventum fuit, viderentque matronæ botros vltra macerias propendere rogabant S. Catharinam, vt illos botros illis decerperet. Erat enim procera corporis statura præter alias egregias dotes quę eam cunctis reddebat amabilem.

Prauæ cupiditates abominatur.

Illa vero studio paupertatis iam manicas habebat attritas & pannosas, neque verebatur, apud tantas matronas vilis & inops videri. Itaque brachia, vt vuas carperet extendit, & ecce matronæ illę videte sibi visę sunt brachia eius purpura magni precii cooperta. Accedunt igitur prę multa admiratione tangunt singulę cernuntque manicas insigni purpura rutilantes, aiuntque ad eam. Quis vnquam crederet Domina Catharina tanti precii vestibus vti te voluisse? ignorabant enim Christum sponsam suam cohonestasse. Hoc miraculum non solum familia, verum etiam ipse felicis recordationis M. Petrus qui ipsi à sacris confessionibus fuit, & omni exceptione maior omni asseueratione testabatur.

Viles manicæ apparent purpureæ.

Decubuit quandoque graui morbo affecta sancta Virgo matre adhuc Romæ degente, à qua petiit filiam inuisendi copiam quidam Nobilis

Paupertas eius à Christo cohonestatur.

bilis Baro Ludouicus, nomine. Erubuit vero familia quod vir tantus ad eam vili lectulo depositā esset accessurus. Erat enim lectulus stramineus, ad caput ceruical per exiguum, porro operimentum leuidense & vetustum nullius pene valoris. Sed DOMINVS IESVS qui sua inopia seruorum suorum voluntariam paupertatem maxime illustrem reddit non defuit sponsæ suæ. Cum enim potens ille & opulentus vir multis stipatus ad eam accessisset, videbatur illi lectulus illius aureis & purpureis opertus stragulis, quibus ille obstupefactus conuersus ad suos Hę, inquit, Dominę pauperes ab omnibus putantur, siquidem sæpe ob res necessarias coemendas pecuniam mutuo quęrunt. At ecce tanti precij purpura tantusque apparatus aliter se rem habere demonstrat: si vere premerentur inopia nullum hic adeo materia insignis haberet locum emptores facile habitura. Non perpendebat bonus Comes adeo lectum illum cęlestem opera sponsi adornatum fuisse cuius amore sponsa quam inuisebat vltro extremę se necessitati subdidisset.

Iniurijs benigna.

Inter alias virtutes quarum celebri opinione apud omnes mirifice inclaruit erga domesticos & qui eam iniuria afficerent, sancta virgo egregiam semper animi patientiam declarabat, accurate enim secum expendebat, quicquid à nobis bene geritur id facile redigi in nihilum si sit animus patientia destitutus. Vt igitur solent odores cum latius spargi cum attritu commouentur, ita illa iniurijs & insectationibus vexata præcipuam exhibebat patientiam, haud aliter diligens eos à quibus offensa fuisset, quam si eam beneficio affecissent. Vtrum autem vera quis sit humilitate præditus tum capi potest experimentum, cum lacessitur iniuria, quam si placide tulerit, mitis, sin secus, asperi nomen meretur. Præclarum sane huius Venerabilis Virginis testimonium reddidit relligiosa Deoque sacrata Virgo Margaretha Caroli fratris eius filia, quæ cum quinquennio ei inseruiisset affirmabat, se nullam vnquam impatientiæ vocem, imo ne signum quidem commoti animi in eos qui eam læsissent animaduertere potuisse.

Margareta S. Cath. neptis ex fratre Carolo de hera sua testimonium.

Cū matre peregre posita 25 annis vixit, eam Hierosolymam comitata.

Annis viginti & quinque cum matre sua Romæ & quocumque illa profecta fuisset, permansit, cum illa loca sacra etiam dissita atque adeo ipsum Domini sepulchrum Hierosolymis inuisens. Feruens nimirum Christi amor tantos facile superauit labores. Eandem in Vrbe sancta febre affectam non deseruit, sed omni quo potuit studio fouit & recreauit donec Romā reuetteretur, Vbi ei Christus obitus ipsius diem & pleraq; ália patefecit. Et illa quidē sanctissima Romæ defuncta est, ibidemq; humata: sed post quinq; septimanas inde excedēs ipsius filia sacras eius secū reliquias

S. Mater eius Roma defuncta & humata.

reliquias in Suediam asportauit. Interea temporis multa ad eam accedebant matronæ tum nobiles tum etiam è plebe sacras illas reliquias deuote veneraturæ, quas virgo sancta hortabatur, vt posthabitis mundi labentis illecebris ac pompis, cælestibus bonis ardenter inhiarent. Et multi sane vtriusque sexus Nobiles eius sermonibus permoti ad meliorem sese frugem recepere.

Per filiam in Sueciam asportata.

Matronas inuisentes reliquias matris ad meliorem frugem perduxit.

Venit tandem cum sacro pignore Dantiscum in Prussiam, cum licentiam Crucigerorum exorbitantem aduertisset, libera voce, seuero vultu, efficacib. verbis peccata illorum reprehendit, terribiles minas eis impendentes diuinitus matri suæ reuelatas proposuit. Seruiebat illi tum Dauidicum: *Loquebar in testimoniis tuis in conspectu Principum & non confundebar.* Stupebant vero illi cum Diuina sapientia coniunctam virginis eloquentiam, nec potuit quisquam contradicere vera loquenti. Inde nauigio contendit Suediam versus, & stella duce quæ solis æmulabatur splendorem meridie perueniunt ad quandam Suediæ stationem, de qua nautæ ne cogitarunt quidem. Inde soluentes appellunt ad Ostrogothiæ portum Sudercopensem. Vbi eorum aduentus innotuit, qui iam à multis expectabantur auide innumera eis occurrit multitudo ex omni Nobilium, plebeiorū, Ecclesiasticorum & Cænobitarum Ordine, qui illos & sacras B. Brigittæ multorumque aliorum sanctorum reliquias quas matri & filiæ Cardinales, Regina Neapolitana, Barones, & Nobiles matronæ Romanæ compluresq; monasticę vitæ professores pie donarunt, cum pręcipua deuotione & gaudio vsque ad Monasterium Vasthenam deduxere. Venerat cum Sancta Catharina Petrus de Aluastro Ordinis Cistercienſium Prior admodum venerabilis. Is à Sudercopia Vasthenas vsque in Vrbibus & pagis crebro sermonem ad populum confluentem habuit exponens quam mira Deus per illam fecisset, quantisque miraculis matrem eius sanctissimam Brigittam diuersis in regionibus illustrasset. Cum Lincopiam Sancta Catharina cum sacro pignore subijsset, Nicolaus sanctæ memoriæ eius Vrbis Episcopus obuiam ritu solenni cum Clero & cænobitis populo subsequente processit, pulsabantur campanæ, resonabant organa, laudes Deo decantabantur qui est mirabilis in sanctis suis & glorificat honorificantes se. Vbi ad maiorem ædem ventum est concione absoluta Episcopum, & Canonicos seorsim conuocat Catharina, sua negotia explicat, ipsum etiam antistitem inter alia cum multa reuerentia de quibusdam ieiunijs immoderatis admonet. De quo plura suo loco inferius. Tandem quarta feria intra octauas Apostolorum Petri & Pauli ad Vasthenense Monasterium Sancta Catherina peruenit, & cum ingenti gaudio excepta est. Habita deinde collatione cum fratribus, ad sorores siue sanctimo-

Dantisci Crucigerorum licentiam arguit.

Stella duce in Sueciam nauigat.

Sudercopiam appellit.

Pompa obuia Vasthenas vsq; S. reliquias perducit.

Petrus Prior Aluastrensis sermonem ad populum in via facit.

Lincopensis Episcopus solemni pompa occurrit.

S. Catharina ad Lincop. Canonicos verba facit, & Episcopum admonet moderationis in ieiunando.

Vastenas perueniunt.

ctimoniales ingressa est cum illis deinceps reliquam vitam traductura. Ab eo vero tempore curam illarum suscepit, & regulam saluatoris quam apud matrem tot annis didicerat, ipsis non minus sermone quam suo exemplo declarabat: multumq; ab illis abhorrebat sororibus quæ essent à sancta illarum professione alienæ. In primis autem linguas detestabatur, quæ alienæ famæ morsus venenatos infringunt, In ea omnes tum fratres tum sorores exempla totius honestatis & sanctimoniæ conspiciebant: feruorem in diuinis officiis, in rebus arduis fortitudinem, in aduersis patientiam suspiciebant. Post preces horarias cum vna è sororibus Psalterium percurrere solebat. Euocabat autem modo singulas, modo vniuersas sorores & ad regulæ obseruantiam humanissimè eas adhortabatur. Cæterum posteaquam reliquiæ Beatissimæ Brigittæ in Vasthenensi cœnobio repositæ fuere, multis cœperunt coruscare miraculis; permultique ex diuersis regionibus eo confluxere, Deum laudantes in operibus admirandis quæ per famulæ suæ merita voluit patrari. Permouit ea res Regem & Regni proceres: & Catherinam precibus sollicitatam expediuerunt Romam, vt cum Pontifice de Sanctę Brigittę in Diuos relatione ageret. Fecit illa vt iussa fuit & Romam regressa omnium in Romana Curia animos negotio huic promouendo addictos comperit. Veniebant tum ad eam multi Nobiles eius preces expetentes memores pristinę ipsius conuersationis. Erat tum temporis extra vrbem vidua quędam Nobilis soror Latini Baronis Romani, vt licentia solutior ita moribus inverecundior, admonita crebro à fratre suo Latino & viris alijs religiosis vt pudicitię detrimenta vel corrigeret vel penitus submoueret, non solum nihil mutata fuit, sed vt solent efferari irritati animi, multo etiam licentius voluptatibus frœna laxauit. Aegre tandem ab ea Latinus impetrauit vt Romę cum ipso moraretur. Et eo quidem venit cum multo fastu, sed in tantam incidit ęgritudinem vt eius salus à medicis desperaretur. Tum frater eius per seipsum & alios pios homines de sororis animę valetudine sollicitus multis laborabat, vt peccatorum suorum virus integrè per confessionem euomeret. Illa animo obdurato semper se satis esse confessam respondit. Rogauit igitur Latinus Sanctam Catharinam vellet miseram adire & ad veram prioris vitæ detestationem inuitare: plurimum enim de eius sanctitate sibi pollicebatur. Illa vt erat ad consolandos ægros semper propensa nihil detrectauit.

Venit ad languidam, hortabatur vt vulnera suę conscientiæ medico spirituali curanda detegeret, verum parieti visa loqui. Cernens ergo eius obstinatum animum orat circumstantes vt Deo preces pro salute mise-

Cœnobio virginum se S. Cath. includit, easq; moderatur.

Obtrectatores alienæ famæ detestabatur.

Virtutes in ea relucentes.

Psalterium præter horarias preces percurrebat.

Sorores officij monebat.

Reliquiæ S. Brigittæ miraculis coruscant.

Vndique inuisuntur.

Romam S. Cath. mittitur actura de S. matris in Diuorum album relatione.

Inuisitur à Romanis.

Romani Baronis sororem ad vitæ solutioris detestationem miraculo adducit.

te miseræ fundant, ipsa paululum digressa ingenua procumbit pro salute miseræ Deo supplicatura. Et ecce repente è Tiberi perspicue visus est emergere fumus quidam teterrimus figura orbiculari ingenti mole instar plaustri fæno onusti. Is rursum elatus in aera ferebatur pendulus supra ædes vbi ægra magis animo quam corpore decumbebat, tantæque illic extitere tenebræ, vt alij ab alijs videri non possent. Magno autem impetu è cœlo ruens illa fuligine nigrior moles solo tenus visa est opprimere domum proximam cubiculo, in quo misera iacebat. Ad cuius immanem horribilemque fragorem ægra ingenti timore correpta, Catharinam ad se vocat, promittit cum lachrymis se facturam quicquid à se postularet. Mox accersitur Confessarius ipsa eum summopere à quo prius tota abhorruerat expetente exacta omnium peccatorum exhomologesi posteraque luce sacramentis munita spiritum efflauit. Quotquot vero illic aderant eam gratiam moribundæ precibus Sanctæ Catharinæ fuisse impetratam fatebantur. *Prodigiũ horribile.*

Romæ matrona quædam Nobilis septies exanimem prolem fuerat enixa. Cernens vero se marito ea causa minus gratam cum iam iterum grauida esset, supplex adiit Sanctam Catharinam de cuius sanctitate nihil hæsitabat, eique suam exposuit calamitatem. At illa quasdam ei sanctæ matris suę reliquias dedit admonens vt vsque ad partum illas secum deferret promittens etiam se parturienti adfuturam. Vbi pariendi sensit adesse tempus matrona virginem ad se aduocat, Illa celeriter accurrit adest laboranti nec cessat à precibus donec viuam est enixa puellam, quam etiàm viuam voluit nominari. Tota vero vrbe eius rei fama diuulgata est, & omnes non vulgaris miraculi loco habuere. *Aliud miraculum quo puerpera toties abortum facere solita ope S. Cath. adiuta est.*

Accidit etiam quandoque vt Catharina Romæ commorante Tiberis tanta existeret inundatio, vt Romani vrbis interitum pertimescerent. Iam enim pontem Lateranensem & Sancti Iacobi Monasterium, multaque adiacentia ædificia vnda obruerat, Itaque habito consilio aduolant ad Sanctam Catharinam, instantissimè orant ne grauetur cum ipsis ad ferocientem fluuium descendere suas preces illi oppositura. Illa vero fusis lachrimis indignitatem suam palam faciens quantumuis pio illi officio satisfacere detrectauit. Tum demum Romani vel inuitam domo exportatam sæuientibus vndis obiecerunt. Mox vt illa pedibus aquas attigit confestim retrorsum abire nec amplius alueum suum superare sunt visæ. Hic stupere omnes immensamq; creatoris laudare potentiam qui mirabilia etiam in vndis operari sanctorum suorum ministerio dignatur. Huic spectaculo aderat S. memoriæ D. Petrus prior Ord. Cister. cuius supra mentio habita est, monuitque S. Ca- *Miraculum de Tiberis inundatione per S. Cath. repressa.*

therinæ domesticos vt recens heræ suæ miraculum memoriæ indelebili consignarent, siquidem tempus esset futurum quando & miraculorum ipsius monumenta & virtutum insignia quasi certissimæ sanctitatis tesseræ in vulgus ire deberent. Cum autem sancta virgo profecta esset Neapolim illicque tempus perduceret colligendis annotandisque occupata miraculis, quæ per Sanctam Brigittam in vita & post obitum operari Dominus ibi dignatus est, fama sanctitatis eius quædam ex insignioribus excitata matrona illam conuenit, & quemadmodum filia eius orbata viro nocturno dæmonio infestaretur, non sine lachrymis confidenter exposuit, quod quidem ob communem verecundiam non erat ausa vel propinquis aperire. Quibus auditis Catharina vehementer vicem vtriusque miserata pro more tacitè dicta semel salutatione Angelica saluberrimum eis consilium impertiit. Primo vt pure sua peccata confiterentur. Aiebat enim ob peccata in confessione celata plerunque id genus illusionis accidere, deinde vt nudis pedibus & absque lineis indusiis cum omni humilitate continuis octo diebus adirent templum S. Crucis, & ob reuerentiam passionis Christi coram imagine ipsius è cruce pendentis septies dominicam orationem & Angelicam salutationem pronunciarent. Addebat vero se quoque licet indignam ex commiseratione libenter pro ipsis Dominũ Deum rogaturam. Fecerant illæ dominæ quod iussæ fuerant; nec sine fructu, quippe die octauo ædes Catharinæ ingressæ & ad pedes eius prouolutæ, Deo immēsas agentes gratias iam ab illo se liberatas dæmonio sunt fassæ. His & id genus aliis magna sanctitatis existimatio conciliata est Sanctæ Catharinæ non modo Romæ & Neapoli, sed etiam in multis aliis Italiæ & Germaniæ regionibus, compluresque afflicti ad eam confugiebant, vt eius precibus consolationem obtinerent, nec sunt frustrati spe sua.

Neapoli in miracula materna inquirit.

Quandam à Dæmonio nocturno liberat.

Consilia salubria impertit.

Expeditis Neapoli, quæ illic exequenda susceperat Catharina Romam rediit & vrgebat quidem matris suæ in Diuos relationem. Sed Pontifice Gregorio XI. morte intercepto non potuit ita facile rem ad effectum perducere. Itaque totum negotium ad Vrbanum VI. Pontificem Romanum deuolutum est. Nouerat is Pontifex Brigittam & cupiebat eius sanctitatis conscius eam sanctorum Catalogo adscribere, sed schisma tum recens ortum multaque alia eius conatus retardabant. Iam quinquennium Catharina Romæ egerat huius rei causa non sine magnis impendiis, sed cum videret ob schisma impendens spem nullam melioris successus ostendi, quæcunque ad obtinendam sanctæ matris suæ Canonizationem vt vocant facere videbantur puta vitam, & miracula eius cum fide di-

Neapoli Romam redit.

Gregorius XI. moritur.

Vrbanus VI. sufficitur.

S. Br. eius sanctitatis cōscius, inter sanctos celebrandam curare cupidus.

Schisma impedit.

Vitam & miracula materna Romæ relinquit.

fide dignis testimonijs conscripta Romæ reliquit diuinæ prouidentiæ re tota commissa: impetrataque à summo Pontifice confirmatione regulæ Saluatoris & Priuilegijs quibusdam Monasterij Vastenensis ad suos redire constituit. Erat tum Romæ Cardinalis Eleasarus, qui à iuuentute sua multum Sanctam Brigittam tam viuentem quam vita defunctam dilexerat, quippe qui in vita recte instituenda eius semper consilijs se accommodauerat. Is Catharinæ quæcunque potuit in eius promouendis negotijs beneficia & auxilia humanissime præstitit illius vitæ sanctitate permotus. Romanus quoque Pontifex Vrbanus VI. cum cæteris Cardinalibus singulari quadam beneuolentia eam prosecutus litteras insuper Apostolicas ei obtulit saluum conductum ad loca omnia euicturas ad quæ accessura esset. quin & comitem magnæ ei authoritatis virum adhibuit, qui per Italiam ad Alpes vsque tuto eam deduceret. Eæ litteræ effecerunt vt ab Italiæ atque etiam Germaniæ Principibus & Ciuitatum Magistratibus admodum honorifice exciperetur. Vbi in Prussiam tandem peruentum est labore & morbo valde exhausta curru vehi necesse habuit. Quidam vero ex eius familia somno correptus è curru sub equorum pedes decidit: porro succedentes mox rotæ adeo eius costas attriuerunt vt vix anhelitus ducere videretur. In currum autem subleuatus animum Catharinæ multo dolore affecit: itaque suo more dicebat angelicam salutationem & leuiter hominis quassatum latus contrectabat; qua ille medicina tam facili quam efficaci sibi restitutus est, vt qui præ doloris acerbitate spirare vix poterat, eodem die lętus discurreret CHRISTVM collaudans & Sanctam Catharinam, cuius meritis esset salutem tam celeriter adeptus. Porro ab eo tempore quo ab Vrbe discessit corpore cępit debilitari & licet alios morbus remissiores reddere soleat in officio, ei tamen quantumuis quotidiana caperet incrementa, nihil de animi pietate & deuotione detraxit, nec medicorum voluit vti opera, quippe quę toto pectore cuperet dissolui & esse cum CHRISTO. Deinde in Monasterium Vastenense reuersa ab Octauis Apostolorum Petri & Pauli vsque ad Dominicę annunciationis solennitatem varijs continenter exercebatur corporis molestijs, sed quanto erat corpore infirmior, tanto in ea virtus roburque animi augescebat. Accidit tum vt quidam ex familia monasterij ab alto ædificio præceps in ligna & lapides decideret fractisque dexteri lateris ossibus, vix spiritum trahere videretur. Id vbi illa resciuit ad Monasterij ostium descendit oratione præmissa læsa membra tetigit, doloremque omnem ita repente depulit vt æger membris consolidatis statim ad laborem reuersus fuerit magnificansque

Confirmationem Regulæ Ord. S. Saluatoris impetrat.

Eleasarus Card. S. Brigittæ addictus.

Pontifex S. Cath. abeuntem humanissime prosequitur.

Per Italiam & Germaniam honorifice excipitur.

Lapsum ex curru & læsum mirifice sanat.

Pietatis officia nec ægra remisit.

Ex lapsu allisum alium curat.

Deum qui talem potestatem dedit illius etiam temporis & gentis hominibus.

Sacramentis se munit in morbo.

In dies morbo inualescente Beata Catharina Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ ceu veras Spiritualis salutis apothecas frequentabat, quamquam ab eo tempore quo cum matre peregrinationes susceperat, in more habuit quotidie de peccatis suis corde contrito confiteri, quod nonnumquam bis terue in die faciebat. Sciebat enim Confessionem antidotum esse animarum, vitiorum expultricem, virtutum instauratricem, oppugnatricem dæmonum, & quæ tum os Tartari obstruat, tum paradisi portas reseret. Eucharistiam tamen in hac ægritudine præsertim extrema ob stomachi affectiones rarius ei assumere licebat. Cum vero penitus ab ea sumptione prohiberetur quibus poterat deuotionis signis sacrosanctum Christi corpus venerabatur. Tandem defixis in cælum oculis cum iam linguam arescentem mouere nequiret spiritu nequaquam torpente, sed qui adhuc conatum signis promeret Domino exitum commendabat, in qua etiam oratione choro sororum plorabundo circumstante intaminatam sponso cuius tota amore arserat animam tradidit. Vsque ad sepulturæ tempus religiosis Domui in qua corpus eius exanime iacebat visa est stella per dies & noctes imminere, quin etiam cum corpus ad monumenrum deferretur stella quoque parirer suo loco cernebatur moueri, obsequium videlicet supremum funeri præstitura. Denique inter Missarum solemnia corpore in templum reposito eadem stella permansit pendula supra feretrum donec corpore humato illa quoq; ex oculis omnium euanuit.

Quotidie peccata confiteri solita.
S. Exhomologesis animarũ antidotum.
Quam sumere non licuit S. Eucharistiam, venerabatur.
Animam Deo reddit.
Stella super eius corpus apparuit, & cum corpore ad sepulchrum delato moueri visa.
Corpore humato euanuit.

Nec deerant etiam qui sancte iurarent vidisse se luminaria mire radiantia in aere quæ ipsum fererrum anrecederent, dum ad Ecclesiam deportaretur. Ad eius obitum Vastenis plurimi conuenere prælati Archiepiscopi & Abbates ex Regnis Suediæ, Daniæ, Norуegiæ & Gothiæ. Aderar etiam Ericus filius Regis Suediç cum multis Principibus, Magnatibus & Baronibus, vt omittamus inferiorum ordinum Clericos & Laicos quorum fuit ingens copia. Sacram sanctę virginis sarcinam baiulabat ipsemet Ericus cum Regni Principibus & Proceribus, sed turbis ad sacrum contingendum corpus certatim irruentibus ægre potuit ad sepulchrum deferri. Sepulturæ officium non sine lachrymis expleuit sanctæ memoriç Nicolaus Lincopensis, Anristes adstantibus illi Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & multa Cleri frequentia. Inter hos erat, Tordo Episcopus Stregnecensis magna tum eruditione tum authoritate prędidus. Is pro singulari erga illum etiamnum in corpore de-

Luminaria in aere feretrum antegredi visa.
Antistuum & Magnatum totius Scandiæ conuentu funus deductum.
Regis filius feretrum subit.
Mortua Episcopi Tordonis manum sua insertam amice compressit.

re degentẽ familiaritate & deuotione cum laudibus preces admiſceret manum eius apprehendit, & vt ſui coram Deo memor eſſet pro veteri amicitia obſecrauit. Res inuſitata dum id ageret ſenſit manum ſuam fortiter comprimi manu Sanctæ Catherinæ vt ſolet fieri inter illos qui mutuo ſibi fidei exhibendę gratia manus porrigunt. Et quidem non parum apud Romanum Pontificem eiuſque Cardinales & eos quos Curię officiales vocant iam olim laborauerat Catharina pro obtinenda illi ſuæ electionis confirmatione cum ea in cauſa Romam veniſſet. Obijt multa veneratione digniſſima Catharina in Monaſterio Vaſtenenſi anno Chriſti 1381. XI. Calendas Aprilis pridie Annunciationis Dominicæ. Ad eius tumulum & ſanctam memoriam multa pie petentibus præſtabantur beneficia, largiente illo qui in ſanctis ſuis & mirabilis & laudabilis eſt, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. *Tempus obitus.*

Extat vita hæc apud Surium 22. Martij & ad calcem lib. reuel. S. Brig. ſed multo fuſior. Relatam fuiſſe in ſanctorum numerum ab Vrbano VI. Pontifice Max. teſtatur Molanus in Vſuardum die 22. Martij & Fr. Angelus Rocca in Catalogo ſanctorum Canonizatorum.

DE CÆ-

DE CÆTERIS S. BRIGITTÆ FILIIS SANCTITATE VITÆ CONSPICVIS.

S. Brigitta cũ coniuge integro anno cælebs.



IENNIO fere in virginalibus deliciis mutuo consensu iucundantes conuictum castissimum celebrarunt Vlpho & Brigitta vt supra meminimus Diuinam assiduis orationibus exorando bonitatem, vt ipsos in actu matrimonii cōseruaret innoxios, prolemque sibi in primis gratam, parentibus iucundam, vtilem patriæ dare dignaretur. His præsidijs præmuniti Dei munere liberos promiscui sexus futuros cœli incolas octo numero genuerunt. Quorum ortus vitæque integritas Deo ac Beatissimæ Virgini accepta & deuota fuisse cognoscitur Lib. Extrauag. Reuelationum Cap. 67. istis verbis: *Paries filios fortes & sanos Deoque deuotos, & c. 63. Eadem filia Ioachim quæ est mater vult esse pro matre Vlphonis & Brigittæ.*

Carolus primogenitus S. Brigittæ. A puero serijs deditus.

Carolus igitur illustrium horum parentum Nobilis proles natu primus, à puero præclaræ mentis ac indolis suæ nequaquam ambigua dedit præsagia, vtpote serijs non ludicris ac infantilib. delectatus rebus. Vlpho etiam & Brigitta quod optimos decuit parentes in filio prospexere vt agro feracissimo debitus adhiberetur cultus. Neque enim vt vulgo fit in septimum vsque annum institutione dilata, indulgentia aliqua puerum corrumpi passi sunt; sed ab ipsis mox incunabulis vna cum ipso lacte instillare voluere, quæ ad præsentem cæptum idonea ad futurum profectum necessaria esse iudicabant. Postquam ad annos discretionis peruenit, mater Eleemosynis, precibus & lachrymis diuinam implorabat misericordiã, vt Diuinus illi infunderetur timor ne se à Deo creatore suo subduceret & si quando in peccatum laberetur, confestim per veram confessionem & emendationem in vitæ nouitatem resurgeret, id quod pro singulis filijs fecit pia mater Iobi sollicitudinem paternam imitata. Carolus vero etsi ætate iuuenis virtutibus maturus erat, iam tum Deum super omnia diligere cœpit: spirituales viros vitę innocentia claros venerari & amare, Orphanos & pauperes colligere & necessitatibus eorum libenter subuenire, talibus misericordiæ operibus caduca bona in æternas delitias commutare thesaurum sibi in cœlis congregare. Erat quippe in hoc totus vt prodesset omnibus, noceret nemini, ideoque non modo submisse de se sensit semper nec vnquam se alijs odiose præposuit, sed etiam libenter omnib. modis honestos aliorum conarus promouit, longissime dissentiens ab iis qui tantum detrahi putant suæ gloriæ quantum patrocinati fuerint alienæ.

Parentum sollicitudo in eo adhuc tenello instituendo.

Matris crebra pro filiorum pietate oratio.

Carolus adhuc iuuenis pietati deditus.

Beneficus egenis.

A fastu & obtrectationibus alienus.

In pijs

Precandi studio flagrans.

Deuotißimus Deipara.

In piis Deo precibus fundendis frequens & feruens fuit, propriam propter Deum dimittens voluntatem, & rogans vt ei vilesceret mundus, Deus autem super omnia charissima charior fieret. Beatissimam virginem deuotissimo cordis amabat affectu, Diuinitatis erga illam beneficia sæpissime sedulo reuoluebat animo, quod videlicet matrem eam elegisset Deus, & super omnia creata exaltasset. Quæ contemplatio tanto teplere solebat cor eius gaudio, vt nullam creatam delectationem quam fuerit expertus equiparandam imo gaudium illud cunctis terrenis delectationibus preferendum censeret, seque ęternis inferni cruciatib. subiiciendum potius (quam si posibile foret) Beatisimam virginem vel vnico puncto ab illa dignitate remouendam mallet, pro qua Deo dicebat omnipotenti sit infinita gratiarum actio & gloria sempiterna. Vir factus suorum voluntatem suamque secutus commoditatem matrimonium contraxit ducta in vxorem virgine antiquæ & primarię Nobilitatis in Noruegia, Gydha nomine, cuius è sęculi pompis memoranda conuersio ac vitę catastrophe paucis in vita D. Cathatinę declarata est.

Ex Noruegia vxorem duxit de qua in vita S.Cath.

Carolus Caroli filius.

Mortu sua horam à S. Auia discit.

Nati sunt Carolo ex hac vxore liberi duo Carolus & Brigitta Ille cum optimam ætatis suæ partem domi forisque in liberalibus artium disciplinis contriuisset rediissetque insigni eruditione ac prudentia excultus vxorem duxit. Haud multo post cum in Monasterio Vastenen. orationi vacaret apparuit ei auia Sancta Brigitta clepsydram siue horologium fluentis arenæ manu præ se ferens, Carole, ait, cernis quam prope arena hæc lento licet lapsu cursum suum completura sit, & vitrum inane relictura tam prope transit tempus vitæ tuæ nec plusquam cernis puta restare. Verum tamen si fidelius obedisses Deo longæuior cæteris in progenie mea permansisses, illustriorque vt pote cui Episcopatus Lincopensis parabatur extitisses. Illo vero rogante vt pro se rogaret emendationemque promptam spondente: Non fili ait auia: iam enim decretum à supremo iudice latum est & tempus præteriit, qui mox infirmatus acceptis Sacramentis defunctus est Anno 1398. 17. Septembris & sepultus Vasthenis.

Brigitta Caroli filia similiter horam sui obitus à S. auia docetur.

Fraga miraculose inuenta horrente bruma.

Brigitta vero septennis ętate in Monasterio Vreta, vbi sanctè educata fuit extremè decumbens vidit auiam suam Sanctam Brigittam horam mortis sibi prædicentem. Mox confessione facta fraga sibi ministrari petiit quæ illo anni tempore scilicet intra festum natiuitatis Christi & Purificationis B. Virginis inueniri posse in calidioribus regionibus nedum in Borealibus nemo sibi persuadere poterat. Negantibus, facite saltē periculum ait virgo in colle prope Monasterium vel sub ipsa niue reperietis iuxta verbū Dominę meę S. Brigittę. Igitur indubii abiere & do-

& donum Domini copiose collegere: Virgo vero magis miraculi testimonio quam refectionis indigentia permota postquam collecta vidisset ad cælestem beatitudinem euocata feliciter transijt, translata Vasthenas ibique condigne tumulata. Carolus interea iam domi virtute & iudicio celebris multum animo versabat qua ratione solidæ ætatis suæ reliquum collocaret & quippiam Deo suoque genere dignum præstaret. Audierat à puero frequenter Ecclesiæ sanctæ in oriente à Turcis & Saracenis oppressionem, legerat etiam multorum præclaras contra nefariam gentem expeditiones, & heroica facta paucis insuper ante annis sanctissima mater eius religionis ergo loca illa multo cum labore inuiserat, & de Christianorum inibi ærumnis nonnulla retulerat. Quamobrem dolebat vehementer sancta esse canibus proiecta & illud gloriosum Christi sepulcrum non sat indebita haberi reuerentia. Itaque mox velut alter Phinees magno Zelo Diuini cultus & honoris inflammatus ardenti cępit ipse quoque flagrare desiderio sanctam Ciuitatem Hierusalem adeundi, & pro eius ac terrę sanctę recuperatione vitam suam cum sanguine profundendi. Igitur & quasi quempiam internum monitorem audiret illud sapientis dictum, Sequere Deum sibi accommodauit. Egressusque è terra sua & de cognatione & de domo patris sui Deo suam militiam dedicauit, vnde & spirituali meruit accingi armatura videlicet charitate Dei & proximi, iusticia, oratione, fortitudine, puritate & confidentia. At vbi maris terræque per Italiam & Germaniam emensus fuisset difficultates peruenissetque Neapolim Campaniæ, morbo correptus aliam vocem audijt sese ad supernā potius Hierusalem quam ad terrenam vocantis, & voluntatem pro facto remunerantis, eaque exhilaratus sancto fine quieuit 12. Martii Anno Millesimo Trecentesimo Septuagesimo secundo.

Obiit virg. Vasthenis translata.

Carolus desiderio flagrat terram sanctā propugnandi.

Deo militiam dicat & Hierosolymam proficiscitur. Neapoli voce cælesti vocatur ad supernam Hierusalem.

Mortem eius longe ante præuidit mater eius & prędixit. Etsi autem præsens morienti aderat, nihil tamen se loco mouit, & neque voces querulas, neque lachymas fudit, sed cum admirabili patientia & reuerentia gratias agebat Deo. Et licet tum Regina ipsa, tum multi Principes regni Neapolitani, & ciuitatis primarii viri ac fœminæ omnes, cum multo planctu corpus eius ad sepulchrum cum illa deducerent, nunquam tamen illa fleuit, sed cum gratiarum actione animam eius commendabat Deo. Fuit ea res non mediocri admirationi tam Reginę, quam cęteris omnibus, quod tantam in principe fœmina animi fortitudinem viderent.

De eo lib. 2. reuel. cap. 13. lib. 4. cap. 24. lib. 7. cap. 13. & alibi passim.

Eirgerus

BIRGERVS, SECVNDVS Diuæ Birgittæ filius eiusque peregrinationis cum germana sua sorore Diua Catharina comes indiuiduus, Hierosolymam vsque peruenit, ibique sancti sepulcri miles factus Romam redijt. Defuncta vero illic sanctissima matre sua ipse cum D. Catherina cæterisque Comitibus reliquias matris ossaque beata in Sueciam Vasthenas reuexit. Vbi tandem iuxta imperium CHRISTI diutina negotiorum Monasterij & sanctæ matris suę procuratione fideliter impensa Anno 1390. 20. Augusti felicem corporis accepit quietem & anima cum sanctis Dei benedictionem iuxta illud *Generatio iustorum benedicetur.* *Birgerus peregrinationis matri comes, miles S. sepulchri. Ossa materna cum sorore in Patriam reuexit. Negotia cœnobii Vasthenensis promouet. Vasthenis obiit.*

Tertius D. Brigittæ filius nomine & re BENEDICTVS cum adhuc paruulus diu infirmaretur in Monasterio Aluastra deuota mater eius deplorans in longum protractam infirmitatem eius causam reputabat peccata parentum, quo tempore apparens ei Diabolus: Quid tibi vis inquit mulier & tantis lachrimis oculos exedis & incassum voti neutiquã compos futura laboras? numquid aquæ tuæ poterunt ascendere in cœlum? Sed mox hoste depulso Christus affuit eique significauit infirmitatem pueri non propter peccata eius aut parentum, sed propter naturę conditionem maioremque suam Coronam accidisse. Restituam illum meliori sanitati simulque tibi loco tutiori conseruabo aiebat, & quem hucusque vocasti Benedictum, poteris vocare amodo filium aquarum & orationum. Die igitur quinta post hæc auditus fuit cantus suauissimus instar auium modulate canentium inter parietem & lectum pueri, quo tempore anima eius corporis soluta vinculis in cælum migrauit. *Benedictus tertius S. Brig. filius. Diabolus matrem filij diuturnum morbum deplorantem diuexat. A Christo repulsus. Benedictus inter Angelos modulantes exspirat.*

GVDMARVS ordine Quartus puer Stocholmiam ad liberaliũ artium disciplinas capessendas missus & consummatus in breui expleuit tempora multa. Placita enim erat Deo anima eius; propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum, quem pie credimus iam dudum in bonis Domini sui demorari. Dominus enim non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia. *Gudmarus Quartus. Literarum studiosus moritur.*

MERITA seu Martha prima D. Brigittæ filia honesto mancipata matrimonio post filiorum castam generationem, cum illa bona Martha Euangelica pro Domino sollicita & fæcunda meritis in Noruegia è vita excessit & honorifice tumulata est, Spiritu ad Dominum, qui fecit illum feliciter ascendente; erat quippe ex generatione quærentium Dominum, quærentium faciem Dei. *Martha prima filia. In Noruegia pie moritur.*

INGEBVRGIS subsecuta D. Catharinam de qua superius tertia D. Brigittæ filia Nasareorum more in cænobio Risaberga virgo deuotissima monialis ab infantia extitit, consecrata & breui consummato tempore animam Angelico dignam cõsortio morte preciosa reddidit creatori suo *Ingeburgis tertia filia. Monialis in Risabergensi cœnobio moritur.*

M crebre-

Miraculis claret. crebrescentibus ad sepulchrum eius miraculis apud Deum nota est & apud homines laude memoriaque perpetua digna.

Eam pia mater D. Brigitta, vt didicit ex nuntio mortuam, mirifice lætabatur, atq; ad Dominum: O Domine IESV CHRISTE, ô amor meus: benedictus tu sis, quod vocasti eam antequam mundi laqueis implicaretur. moxque surgens, & ad templum abiens, tam multas fudit lachrymas & traxit alta suspiria, vt etiam ab alijs posset audiri. Dicebantque illi: En vt plorat filiam suam. Apparuit autem ei Christus & ait: Mulier, quid ita ploras? Etsi enim ego noui omnia, tamen harum lachrymarum causam ex te audire volo. Respondit illa: Equidem non ex causa ploro Domine, quod filia mea defuncta est: immo vero ea causa lætor potius. Si enim vixisset diutius; maior illi apud te ratio reddenda fuisset. *Attende, quæ sit vera mater & germana & quæ non.* Sed hoc lugeo, quod eam non institui conuenienter mandatis tuis, & quod superbiæ exempla ei de me præbui, & remissius correxi peccantem. Christus ait: Illa mater quæ plorat peccata filiæ suæ, & instituit eam, quantum optime nouit, ea vera est mater charitatis & lachrymarum: & filia eius, filia Dei est propter matrem. Quæ autem genitrix lætatur filiam suam ita se comparare, vt solent mundo deditæ, nec curat eam bonis moribus imbuere, sed id solum expetit, vt fiat sublimis in mundo, ea non germana mater est, sed nouerca. Itaque propter charitatem & bonam voluntatem tuam, filia tua compendio pertinget ad coronam.

De ea lib. 1. extrau. Reuel. cap. 98.

Cæcilia quarta filia. CÆCILIA quarta & vltimo genita D. Brigittæ filia omni veneratione cum cæteris dignissima, maxime ob singularem gratiam sibi à gloriosa matre exhibitam priusquam ex matris vtero nasceretur. *Eius partu periclitanti matri subuenit B.V.* Nam cum in eius partu D. Brigitta periclitaretur & de eius vita desperaretur humanis præsidiis necquicquam proficientibus, visa est Beatiss. Virgo Maria quasi nitido serico induta, vt alias memoratum est, ad eam ingredi & totum corpus iacentis attrectare mulieribus quæ aderant idem obseruantibus, atque adeo stupentibus vniuersis, paulo post cubiculo egredi, post cuius abitum sine difficultate partum effudit.

Deipara hortatur S. Brig. ad probam liberorum educationem. Quod deinceps ipsamet virgo Maria cum in eius conspectum se insinuasset reuelauit dicens: Quando difficultate in partu premebaris ego ad te ingressa sum tibique laboranti auxiliata. Tu auxilium experta vide ne ingrata sis, si me diligis labora vt filij tui sint etiam filij mei. Felix sane & generosa progenies ex qua mater Dei sibi filios adoptionis eligere dignabatur. Postquam vero Cæcilia adolescentiæ annos attigerat, habebat quidem in animo pia mater eam D. seruitio in Monasterio Dedicatarum

dicatarum Virginum Scheningensi addicere, sed ordinatione Diuina per fratrem suum Carolum fuit Magnifico cuidam viro desponsata, quo *Nubit Cecilia* non multo post mortuo ad secundas transiuit nuptias & ex casto coniugio suscepta prole velut altera Thabita plena bonis operibus obijt in viduitate bona. Anno Domini 1399. 12. Martij sepulta Vasthenis. Ecce *In viduitate bona obiit.* quam pulchra est casta generatio cum claritate. Gaudium parẽtibus est de bonorum filiorum multiplicatione. Vnde Prou. 23. *Exultat in gaudio pater iusti & mater quæ eum genuerunt.*

De ea lib. reuel. cap. 71. per totum. De cæteris omnibus lib. extrauag. cap. 63. 67. 95. & alibi passim. Volateranus, cuius verba suo in Onomastico, vbi Brigitæ meminit, Ambr. Calepinus adducit.

PETRVS OLAI ORDIN. CISTERCIENSIS FLORVIT ANNO CHRISTI 1378.

VRBANO VI. Pontifice.
CAROLO IV. Imperatore.
ALBERTO Rege.

Petrus vir eximij spiritus.

PETRVS Monasterij Aluastren. in Ostrogothia Ord. Cist. Prior eximij vir spiritus multæque in Diuinis rebus meditationis, diuina inspiratione admonitus erat, vt reuelationes D. Brigittæ conscriberet: sed ille sumpto ad deliberandum tempore cum staret vice quadam in templo cogitationibus varijs inter se confligentibus, his à proposito reuocantibus, illis inuitantibus, tandem post diuturnam discussionem statuit à prædictis reuelationibus manum penitus abstinere, siue quod eiusmodi munere peragendo sese minus vel dignum vel aptum arbitraretur, siue quod illusionem Diaboli subesse formidaret. Et ecce diuinitus inflictus est illi colaphus tanta vehementia vt instar mortui omni sensuum ac virium destitutus officio in terrā collaberetur. Monachi igitur è terra eleuatum pro mortuo ad cellam portauerunt inque lecto collocarūt. Media vero nocte circiter cum ad se reuersus paulum id quod erat animum illius subijsset, videlicet ea propter istud sibi euenisse quod reuelationi & præcepto obedire noluisset, factum detestatus dixit, *O, Domine Deus si hæc istius mali causa est ignosce paratus sum deinceps obedire & omnia verba quæ D. Brigitta mihi ex parte tua dictauerit litteris pro mea virili consignare.* Quo dicto cum nulla interposita mora se aduertisset omnimode curatū è lecto sese proripuit, prōptus & alacer opus diuinitus iniunctum aggressurus. Et exinde D. Brigittæ à sacris confessionibus libris cælestium reuelationum scribendis continenter adhæsit. A puero etiam vehementissimum capitis dolorem passus erat, eoque non prius liberatus quam operi manum adhibuit, nec vnquam eum postea annis triginta quibus D. Brigittam comitatus vel minimum sensit. Compostellam, Romam ac Hierosolymam cum D. Brigitta peregrinus adijt multa interim pericula, famem, sitim, defatigationem, insectationes atque contumelias perpessus. Ac Romæ quidem quamdiu constitit non solum D. Brigittę ac familiæ illius à confessione seruiuit, sed etiam apud D. Petrum nationis Sueticæ atque Gotticæ pœnitentiarius præsertim anno Iubilei 1350. quo magnus ex iis partibus ad limina Apostolorum peregrinantium numerus confluxerat extitit, pijs exhorta-

Diuina inspiratione monetur vt reuelationes S. Brig. conscribat.
Dubius deliberat.
Colaphus diuinitus ei inflictus.
Resipiscit veniam precatus.
Repente conualuit.
S. Brig. à confessionibus.
A capitis diuturno dolore liberatur.
Loca Sacra cū S. Brig. inuisit.
Prisca peregrinantium Suecorum ac Gothorum religio.

exhortationibus, eleemosynis alijsq; charitatis operibus semper intetus: somnum raro procumbens in lectū capiebat, sed super tabulis vili strata culcitra, sæpe super nudā humum cubabat, suo se pallio cooperiens. Et quanquam in seipsum satis asper esset & seuerus, alios tamē eximia charitate & beneuolentia complectebatur: Idem semper affabilis & spirituali semper lęticia exultans videbatur in cœlis versari. Singularis sui cōtemptor desiderio & contemplatione totus in Deo defixus. Et quamuis extra septa monasterij morari cogeretur, regulæ tamen obseruantiam nunquam negligebat, vsum pœnitentiarum, ieiuniorum frequentiam, obediendi promptitudinem, humilitatis studium, zelum salutis animarum deuotionemque in quotidianis precibus recitandis, missis celebrandis & Diuinarum rerū tractatione studiose obseruabat. Impugnationem quandam grauem circa mysterium sanctissimæ Trinitatis visione cælitus facta superauit, & deinceps incredibilis fuit eius amator & prædicator. Postquam octo libros cælestium reuelationum Regulamque Ordinis D. Brigittæ in latinum sermonem transtulisset, cantum ei ordini proprium cum hymnis & antiphonis composuit, intereaque magna repletus dulcedine spiritus igne charitatis Diuinæ cor sibi magis ac magis incalescere persensit. Peregre proficiscentem latrones quadam vice inuasere necem minitantes, ni aurum forte reconditum promeret; quibus ille Apostolico more sine sacco & sine pera se iter agere cōmonstrat, qua voce non contenti nefarij homines pallium ei abripiunt. Petrus vero ab omni ira ac impatientia alienus vltro eis præbebat etiam tunicam & quicquid reliqui superfuerat. Iamque abeuntibus illis amici inquit si placet bibere habeo nonnihil vini in lagenula quod ad extremum elargitus gaudens Deo gratias retulit pro diuexationibus suis, & pro prædonibus iniuriosis magna charitate orauit, sicq; nudus cœptum perfecit iter plus de animæ tegumento sarto conseruando, quam corporis indumento sollicitus.

Omnibus comis. *Sui despicax.* *Religiosi instituti obseruans.* *Impugnationē spiritualē heresi adiunctam vicit.* *Reuelationes S. Brig. in Latinum traducit.* *A latronibus spoliatur.* *Singulare patientiæ exemplum.* *Pro prædonibus orat.*

Sæculo tandem functa D. Brigitta corpus eius vna cum B. Catharina Roma in Gothiam transtulit, vbi duos Dæmoniacos atque in Suecia vnum multis præsentibus à tyrannide malignorum liberauit. Denique ætate plenus postquam bonū certamen certasset & cursum consummasset ad repositam sibi in cœlis coronam iusticiæ feliciter migrauit Anno circiter millesimo Trecentesimo octauo. Supra septuagesimum.

Tres Dæmoniacos liberat. *Sancte obiit.*

De eo in prologo lib. 1. reuel. lib. 4. c. 32. lib. 6. c. 71. In prologo lib. extrauag. & c. 3. 6. 45. 46. 48. 71. 109. 113. 114. & 115.

S. NICOLAVS EPISCOPVS LINCOPENS. FLORVIT ANNO CHRISTI 1391.

Bonifacio IX. Pontifice.
Venceslao Imperatore.
Margareta Regina.

S. Nicolaus pietate, literis & prudentia clarus.



Anctvs Nicolaus Scheningiæ honesto loco natus Petri Archiepiscopi de quo superius ex sorore nepos, cum esset ingenio ac pietate singulari à natura præditus, insuper literis felicissime excultus fuit, & post sacros ordines Archidiaconatum Lincopensem meruit, dehinc etiam Episcopatum, quã dignitatem cum Senatoria Archicamerariatus coniunctam summa prudentia, æquitate & vigilantia difficilimo Reipub. tempore gessit. Enim vero Magno & Alberto Regibus ea rerum facies erat quæ extremam Sueciæ ruinam minitaretur, gliscebant factiones perniciosissimæ, conculcabantur leges, sacra prophanis miscebantur. Quibus malis Nicolaus diu qua potuit ope & consilio obuiam ijt, sed cum apud induratos in malo Reges præsertim Haquinum Noruegiæ Magni filium & Albertum Sueciæ nihil prorsus proficeret, anathematis eos vinculo innodauit. Zelus domus Dei comederat illum & opprobria exprobrantium, priuilegijs Ecclesiæ derogantium, ceciderant super cor eius. Cupiebat dissolui & esse cũ Christo non tam propter laboris & sollicitudinis molestiã quam quod multiplicatis in Regno malis, sine Ecclesiarũ & Cleri sui dispendio, impetum facinorosorum à Domo Domini arcere nõ potuit. Quamobrem sese per longum tempus in abditum quendam locũ inclusit soli Deo vacans in ieiunijs, vigiliis, & orationibus pastorali etiã sollicitudine intermissa; donec monitus à S. Catherina Vasthenensi, exiit, & elegit affligi cum populo Dei, diuitias æstimans, cũ longanimitate & patientia portare improperium Christi. Verificabatur in illo sapientis illud elogium. Da inquit sapienti occasionẽ & addetur ei sapientia: doce iustum, & festinabit accipere. Itaque multis pro patria & Ecclesia Dei confectus laboribus, charitate, humilitate, vitæque innocentia clarus, migrauit ad Dominum anno salutis millesimo trecentesimo nonagesimo primo cum sedisset annis decem & septem, sepultus Lincopiæ in Cathedrali Ecclesia miraculis celebris Diuorumque Catalogo inscriptus in concilio Basiliensi.

Fit Episcopus & Archicamerarius Regni. *Deploranda Regni facies.* *Iniquis Regibus se opponit S. Nicolaus.* *Anathemate eos percutit.* *Ieiuniis ac vigiliis se affligit.* *Obiit miraculis celebris.*

De eo Chronicon Eporum Lincopen. & alij scriptores rerum Suet. lib. 6. reuel. D. Brigittæ c. 71. lib. 7. c. vlt. in additione & in prologo lib. extru. S. Ansgarij & Birgittæ vitas conscripsit.

PETRVS

PETRVS ORD. S. BRIGIT. FLORVIT ANNO CHRISTI 1400.

Bonifacio IX. Pontifice.
Roberto Imperatore.
Erico XIII. Rege.

Petrvs Ord. D. Brigittæ, reuelatione Diuina assignatus fuit vnus ex patribus spiritualibus & comitibus itineris D. Brigittę, cum Mathia ac Petro Priore. Hic D. Brigittę atque Catherinę domus ac familię Magister & Oeconomus fuit, adhæsitque illis ad mortem D. Brigittę, cuius corpus vna cum B. Catharina prosecutus est, factus deinde primus Monasterij Vasthenen. pater & Pręsidens, ibidemque laboris patientissimus profunda quadam humilitate pręditus, ardenti erga Deũ & proximum charitate inflammatus, in oratione assiduus, comis, affabilis, paupertatisque ac patientiæ studiosus, vita & exemplis illustris, cum longęuam senectutem egisset, requieuit in Domino, tam in vita quam in morte miraculis clarus; clariorque in dies, propter frequentiam hominum, voti causa, ad illius sepulchrum aduentantium: quem morem prisca inuexit religio. Eius vitam & miracula conscripsit probata fide Frater Mathias Laurentij Ordinis eiusdem, vir ętate grandęuus, ac erga Deum pietate ac religione conspicuus, quam tamen nondum videre potui. Supplicatum fuit pro Canonisatione ipsius apud Leonem Papam X. Sed hęresi gliscente nihil perfectum.

Petrus spiritualis Pater S. Brigitta.

Primus Superior Monasterii Vastenensis.

In vita & morte miraculis clarus.

De eo lib. extrau. Reu. c. 48, & in vita D. Brigitta.

MAGNVS ORD. S. BRIG.

FLORVIT ANNO CHRISTI 1400.

Bonifacio IX. Pontifice.
Roberto Imperatore.
Erico XIII. Rege.

Magni natales.



AGNVS Vnnonis vir illuſtri genere, Eques Auratus, Regi tum Sueonum gratiſſimus: qui orbatus coniuge liberiſque exhortatione D. Brigittæ, à ſæculari ad religioſam vitam ſeſe tranſtulit. Erat autem cum prophanis, tum ſacris literis egregie doctus: atq; olim iuuenis artium magiſter ac Sac. Theologiæ Baccalaureus renunciatus. Deinde B. Catharinæ Vaſthenen. pater ſpiritualis factus & Monaſterii Vaſthenē. primus Confeſſor generalis cum egregiam nauaſſet operam in religione dilatanda, Monaſterio Vaſthenē. gubernando, & Canonizatione D. Brigittæ Romæ apud Sedem Apoſtolicam procuranda, pietatis, doctrinæ ac prudentiæ laude eximius, Florentiæ miraculis clarus migrauit ad Dominum, anno ſalutis circiter milleſimo quadringenteſimo ætatis vero ſuæ ſeptuageſimo. Sepultus ibidem in Monaſterio dicto de Paradiſo, Ord. eiuſdem vbi pia veneratione ſacræ eius obſeruantur reliquiæ.

S. Catharinæ à confeßionibus.

Canonizationem S. Birgittæ procurat.

Florentiæ in Hetruria obiit ſanctitate conſpicuus.

Ex authentico codice examinis vitæ & miraculorum S. Catharinæ Vaſthenenſis.

CATHA-

CATHARINA VIRGO ORDIN. S. BRIGIT. FLORVIT ANNO Christi 1414.

IOANNE XXII. Pontifice.
SIGISMVNDO Imperatore.
ERICO XIII. Rege.



CATHARINA gentilibus nata parentibus, & Neapolim captiua abducta, à Regina Regni Neapolitani B. Catharinæ Vasthenensi dono præsentata; quæ suum illi in baptismo indidit nomen, secumque Vasthenas duxit: vbi sub regula Monastica, multiplici virtutum claruit ornamento, donec terrena cælestibus commutauit. Eius animam integræ vitæ Catilbernus presbyter quasi stellam clarissimam ad superna ascendere vidit, in spiritu monitus hanc quam in cœlum deferri conspiceret, animam, esse filiam Principis Tartarorum, quæ gloria nulli alteri iis in partibus contigisset. Obiit Anno Domini Millesimo quadringentesimo quartodecimo vigesima die Nouembris.

Catharina Tartarorum Principis filia.

Fit monialis in Monasterio Vasthenensi.

Anima eius ad instar stellæ visa in cœlum deferri.

Ex authentico codice examinis vitæ & miraculorum S. Catharinæ Vasthenens. qui habetur in Bibliotheca Regia arcis Cracouiensis.

IOAN-

IOANNES III. ARCHIEPISCOPVS VPSALIEN. FLORVIT ANNO CHRISTI 1422.

Martino V. Pontifice.
Sigismvndo Imperatore.
Erico XIII. Rege.



Ioannes fit Archiepiscopus.

OAnnes, Gerechino patre Dano natus & pręclaris naturæ ac fortunę dotibus ornatus, tantum industria sua & eruditione singulari apud Sueones valuit, vt summo Archiepiscopatus culmine dignus putaretur. Sed quod Regium potius satellitem diu, quã vigilantem Pontificem egisset, libertatesque Ecclesiasticas Tyrannis prostituisset, delatus ad sedem Apostolicam, Ecclesia Vpsalensi priuatus fuit, & ad Schalholten. Islandiæ Insulæ Ecclesiam exul relegatus: vbi grauibus pœnitentiæ operibus in expiationem præteritorum peccatorum voluntarie assumptis talem se in excolendis virtutibus & Diuinis præceptis obseruandis pręstitit, vt in numero bene beateque viuentium reponeretur. Postremo ab impijs subditis occisus miraculorum gloria meruit illustrari.

Libertates Ecclesiasticas prostituit.

Eius facti pœnas grauissimas à seipso exigit.

A subditis proprijs in Islandia occisus miraculis illustratur.

De eo Ioan. Mag. lib. 4. suæ Metr. & alij scriptor. rerum Suet. sunt qui anno 1432. trucidatum fuisse referant.

VLPHO

VLPHO ORDINIS S. BRIGITTÆ FLORVIT ANNO CHRISTI 1433.

EVGENIO IV. Pontifice.
SIGISMVNDO Jmperatore.
ERICO XIII. Rege.



LPHO cum naufragium iuuenis subiisset, vna cum Ioanne Gerechino, (quem diximus postea factum Archiepiscopum) tabulæque quadraginta diebus fluctibus iactatus adhæsisset, omni edulio destitutus, vouit si vitæ seruaretur ordinem Sanctæ Brigittæ apud Vasthenas sese ingressurûm: Post votum nuncupatum piscator quidam Hafniensis in Regno Daniæ voce cælitus emissa monetur, vt exeat ad prendendum pisces sibi specialiter reseruatos mox in cymbā insiliens monitis diuinis obsecundat. Et ecce subducto paululum à terra nauigio conspicit à longe duos homines in quadam particula nauis insidere atque hinc inde ventis agitari. Mentem subiit illos ipsos esse pisces sibi singulariter reseruatos iuxta vocem diuinitus ad se factam. Quamobrem protinus cursum ad eos flexit & saluos ad littus perduxit. Vlpho igitur vitæ seruatus, memor dicti: vouete & reddite: Vasthenas sese contulit, religionique nomen dedit, veteri exutus homine nouumque indutus, monasticæ disciplinę fuit obseruantissimus, orationum armis incessanter pugnauit, scuto fidei contra insidiantem inimicum protectus. Accidit non longe post quandam Monialem Vasthenensem, Benedictam, Gunnonis filiam, graui ægritudine per plures annos detineri, sæpiusque morti vicinam extremæ vnctionis sacramento muniri. Hæc non ignara puritatis sanctitatisque Vlphonis confessarii sui enixe rogauit, vt votum quodpiam pro sanitate recuperanda emitteret. Vouit Vlpho diligenter se collecturum & scripturum vitam ac miracula S. Catharinæ Vasthenens. si eius interuentu infirma quadamtenus ab ægritudine releuaretur. Quo dicto sine mora vis morbi remisit: Sed

Vlpho 40. diebus naufragio iactatus absque vllo cibo.

Vouet religiosam vitam Vasthenis & naufragium ac mortem euadit.

Monastica disciplinæ obseruantissimus.

Votum pro infirma moniali nuncupat, & illa mox sanitati restituitur.

Sed Vlpho quamuis quod factum fuisset animaduerteret, tamen nescio qua incuria voti non satis memor nihil minus quam de vita & miraculis Diuæ cogitabat. Quapropter infirmitas plus solito in virgine ingrauescere cæpit, donec Vlpho negligentiam suam cognoscens votum nũcupatum plena voluntatis synceritate compleuit vitam & miracula summa fide collecta conscripsit: atque infirma pristinæ reddita est sanitati, factaque Abbatissa viginti quinque annis eidem Monasterio præfuit. At Vlpho de solita vitæ austeritate nihil remittens, omnibus exemplo præiuit: sedecim annis nunquam quieuit iacendo, sed in quodam sedili ad nostra tempora in eius memoriam religiose asseruato sedendo tempus somno necessarium impendit: tanti vir spiritus & contemplationis erat. Orationi vacando choros Angelorum videre meruit: & in eleuatione hostiæ Christum in specie pueri crebro se cernere fassus est. Ætate iam maturus cum primam Missam Conuentualem nocte natiuitatis Christi in galli cantu celebraret, diuinitus illi reuelatus est dies obitus eius, quem etiam coram certis suis Symmistis, & spiritualibus amicis prędixit, sicque vitę agonem felicissime consummauit, anno salutis millesimo tricesimo tertio post quadringentesimum sabbato quatuor temporum in Aduentu.

Annis 16. nunquam iacendo dormiuit.

Orationi vacans choros Angelorum videt.

Christum item sub specie pueri in eleuatione.

Dies obitus diuinitus illi reuelatur.

Ex authentico codice examinis vitæ & miraculorum S. Catharinæ Vastenensis.

STEPHA

STEPHANVS FLORVIT ANNO CHRISTI 1510.





VIGET etiam hodie apud Gothos & Sueones Stephani cœnobitæ fama illustris, qui diu antequam in Saxonia noua Lutheri pullularet doctrina patriam circumiens, multa de hæresi introducenda & religione Catholica postliminio reducenda vaticinatus, miraculisque fidem fecit. Lecto nunquam cubasse visus erat, sed in terra, vili supposito stragulo capitique latere subiecto, interulæ loco aspero vsus cilicio.

Stephani religiosi memoria celebris.

Prophetiæ & miraculorum donis claret.

Aspera vita vsus.

N PVER

PVER SAPIENS (VVLGO WYS PILT) FLORVIT ANNO Christi 1525.



PROPHETIÆ & concionandi dono sic dictus erat iuuenis, hæresis peste gliscente, à quodam Nobili viro primario multa ob fidei Catholicæ constantiam perpessus, in medio lacu Vetter submersus ante Dominum in littore viuus conspectus est. Dehinc rotæ resupinus alligatus, hilari vultu quasuis illusiones & contumelias excepit. Quam animi constantiam inique ferens Nobilis, Ote inquit miserum: quinimo ait ille, Tu ter miser es, nam frigore, fame & aqua peribis. Et verum dixisse comprobauit euentus. Lacum enim vastissimum Vetter, breui post transiturus, super glaciem suos præcedere iussit. Et ecce glacies derepente sese aperit inter seruos & herum, hiatuque in immensum crescente, mandat suis, vt pergãt & mandata exequantur; se vnde venerat rediturum: sed nec redire valuit: retro namque conuersus vidit cedentem glaciem & in aquas resolutam. Quare cum triduo super fragmen in quo primum constiterat fluctuaret & noctu penes littora ab accolis frustra auditus, & interdiu in medio lacu conspectus, à nemine tamen adiutus, ter miserabili, vt illi prædictum fuerat, periit letho.

Catholicæ religionis causa grauissima tormenta sustinet.

Lætus in tormentis prædixit Tortori miserabilẽ mortem.

INDEX RERVM IN HOC OPVSCVLO CONTENTARVM.

A.



B.

H.

I.

Lifda-

L.

M.

N.

O.

P.

Thomas

T.

V.

W.

EPISTO-

EPISTOLÆ SVMMORVM PONTIFICVM REGIBVS, DVCIBVS, ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS AC VNIVERSO CLERO REGNOrum Suetiæ ac Gothiæ continuata temporum serie datæ; quæ Veterem Romano-Catholicam eorundem Regnorum populorumq; fidem, atque erga Sedem Apostolicam obedientiam præclare illustrant;

NVNC PRIMVM TYPIS EDITAE.

GREGORIVS PAPA VII. GLORIOSO SVEONVM REGI, SALVTEM ET Apostolicam benedictionem.

Anno Domini 1080.



VONIAM *Regni tui terram quosdam Sacri verbi ministros fuisse ingressos audiuimus, nouerit Excellentia tua nos in Domino multum lætari: deinceps quoq; de salutis vestræ reparatione plurimum spei indubitanter habere. Gallicana siquidem Ecclesia non vos alienis documentis instruxit, sed quod de thesauris matris suæ S. Rom. Ecclesiæ accepit, salubri vobis eruditione contradidit. Quapropter vt Christianæ religionis & doctrinæ gratiam obtineatis vberiorem, volumus celsitudinem tuam aliquem vel Episcopum, vel idoneum clericum ad Apostolicam Sedem dirigere, qui & terræ vestræ habitudines, gentisq; mores nobis suggerere, & Apostolica mandata, de cunctis plenius instructus, ad vos certius queat referre. Interim vero monemus, vt prudentia tua commissum sibi Regnum in concordia iustitiaq; custodia dirigat, atq; disponat, ac ita circa subiectos pacis iura & æquitatis discretionem seruare inter cætera virtutum studia satagat, quatenus per temporalis regiminis sollicitudinem, mereatur æterni percipere securitatem, & cum iustis vocem totius iucunditatis plenam, in extremo examine digne possit audire: Venite Benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Dat. IV. Non. Octob.*

GREGORIVS PAPA VII. GOTHORVM GLORIOSIS REGIBVS L. ET A. AC POPVLIS SALVtem & Apostolicam benedictionem.

FRATER *noster R. Episcopus vester, ad Apostolorum limina veniens, suggessit nobis de noua gentis vestræ conuersione, scilicet qualiter relicto gentilitatis errore ad Christianæ fidei veritatem peruenerit. Vnde plurimum in Domino lætati, miseratori omnium intimo corde gratias agimus, qui mentes vestras lumine suo visitare, & de tenebris ad lucem, de morte ad vitam dignatus est vos æterna sua benignitate reducere. Simul etiam ipsius ineffabilem misericordiam deprecati sumus, assidueq; postulare optamus, vt vos tam fidei gratia, quam bonorum operum fructibus, & in hac vita vigere, & in futura Sanctorum cætibus faciat annumerari. Proinde charissimi filij, auctoritate S. R. E. vice beatorum Apostolorum Petri & Pauli, nobis, licet indignis, concessa, vos admonemus vt huius fugitiuæ vitæ incertitudinem, ac temporalium rerum, & gaudiorum instabilitatem perpendentes, contemnere; & ad illa, quæ sine fine mansura sunt, quæque humani sensus, ac desiderij angustias amplitudine sua excedunt, meminerit is aciem mentis semper extendere: concordiam & dilectionem studeatis ad inuicem indeficienter habere; Ecclesiis honorem, pauperibus & afflictis compassionem; Sacerdotibus, præcipueq; Episcopis, reuerentiam ac*

tiam ac obedientiam, quasi patribus procuretis impendere: nec non & decimas, quæ ad vsum tam ipsorum, quam Ecclesiarum & pauperum proficiant, dare, totique regno indicare. Quod quidem nulli debet graue videri, pro meliori parte, videlicet semper victura anima, quamque decimam Deo offerre, cùm pro morituro corpore plurimæ gentes coniugibus suis tertiam rerum legibus compellantur exoluere. Præterea adhoc summis animi viribus enitimini, vt qui velut in fine orbis, ita & seculorum, ad laborandum in vineam introistis Dominicam, inter primos remunerandi, eundem denariū hora vndecima operatores percipere debeatis. Agite etiam, vt quemadmodum de præcessoris vestri laudabili fama valde sumus gauisi, ita quoque studiorum, probitatumque vestrarum opinio nos de se, sicut optamus, lætificet. Quia vero nouiter ad Christum conuersos, nondum Christianæ fidei & religionis doctrinam sufficienter vos sumpsisse putamus, volumus, vt frequenter ad hanc sedem clericos vestros mittatis, talesque personas prouideatis ad nos destinare, quæ & S. Romanæ Ecclesiæ moribus plenius instrui, & instructa valeant ad vos docte & salubriter, quæ sunt agenda referre. Datum Romæ, &c.

ALEXANDER PAPA III. REGIBVS ET PRINCIPIBVS, ET ALIIS CHRISTI FIDELIBVS per Regna Sueonum, Gothorum, Danorum, & Noruegiensium constitutis.

NON *parum animus noster affligitur, & amaritudine non modica & dolore torquetur, cum feritatem Estonum & aliorum paganorum illarum partium aduersus Dei fideles, & Christianæ fidei cultores grauius insurgere & immaniter debachari audimus, & Christiani nominis impugnare virtutē. Verumtamen laudamus & benedicimus Dominum, quod vos in fide Catholica, & deuotione sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ omnium Ecclesiarum caput est, & magistra à Domino constituta, super omnes alias Ecclesias cœlesti priuilegio obtinet principatum, immobili firmitate persistitis, & Christianæ religionis vinculum & vnitatem seruatis. Vnde quia expedit officio nostro, ea quæ ad corroborationem fidei & animarum vestrarum noscuntur pertinere salutem, vobis sollicita exhortatione suggerere, & studiosius suadere, vniuersitatem vestram monemus, & exhortamur in Domino, quatenus diuino cultui intendere, misericordiam & iustitiam & iudicium diligere, à rapinis & iniquis operibus abstinere, deuota Deo & accepta obsequia impendere, prædictæ sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ tanquam matri & magistræ vestræ, debitum honorem & reuerentiam exhibere, Episcopis, Sacerdotibus & aliis prælatis vestris humiliter obedire, & eis decimas primitias & oblationes, & alias iustitias suas reddere, & ipsos tanquam patres & pastores animarum vestrarum honorare modis omnibus studeatis, & iura eorum defendere, manu tenere propensius, & conseruare curetis, & armis cœlestib. præmuniti, & Apostolicis exhortationibus confirmati ad defendendum Christianæ fidei veritatem, spiritu fortitudinis accingamini, taliter in brachio forti ad propagandam Christiani nominis religionem intendentes, vt victoriam de inimicis possitis consequi, & coronam iustitiæ, quæ vobis reposita est, patrante Domino, adipisci. Nos enim eis, qui aduersus sæpe dictos paganos potenter & magnanimiter decertauerint, de peccatis suis, de quibus confessi fuerint & pœnitentiam acceperint, remissionem vnius anni, confisi de misericordia Dei, & meritis Apostolorum Petri & Pauli, concedimus, sicut his qui sepulchrum Dominicum visitant concedere consueuimus. Illis autem, qui in conflictu illo decesserint, omnium suorum, si pœnitentiam acceperint, remissionem indulgemus peccatorum. Datum Tusculani III. Idus Septembris.* Anno Domini 1160.

ALEXANDER PAPA III.
STEPHANO ARCHIEPISCOPO
Vpsalensi & suffraganeis eius.

Ezech. 3. 17. VICE *beati Petri Apostolorum principis, largiente Deo & Domino nostro, qui ait, Speculatorem dedi te domui Israel, super gentes & regna, licet immeriti, in Apostolicæ sedis specula constituti, pontificalis officij debito pro vniuersis compellimur sollicitudinem gerere, & antiquo hosti, qui tanquam sæuissimus leo, circuit quærens quem deuoret, pastorali prouidentia obuiare, ne gregem Dominicum inuadat, & diuersis eum vitiorum morsibus laceret. Inde est quod vehementi cor nostrum doloris pulsatur stimulo, audito quod in partibus vestris in tantum libido crudelis & turpis excreuerit, vt quædam mulieres prolis suæ procurent interitum, earumq; corruptores tam horrendo, & detestabili facinori non solum consentire, verũ etiam illud etiam persuadere præsumant, & alii incestuosa coniunctione plerique cum iumentis abominandæ se pollutione commaculent. Quæ quantum sint grauia & creatori nostro penitus inimica, ipsa sceleris atrocitas satis demonstrat, quam nec audientium aures sine ingenti possunt horrore percipere. Si enim qui iactato in terram semine prolem nolebat ex vxore suscipere, percussus à Domino testamenti veteris serie dinoscitur, qua pœna feriendus esse monstratur, qui natum proprium non abhorret occidere, & mauult interire quam viuere? Cuius vtique criminis pœna illud etiam persuadentes vel cõsentientes inuolui beatus Augustinus ostendit dicens. Se periculose decipiunt, qui existimant eos tantum homicidas existere qui manibus hominem occidunt, & non potius eos, per*

Ioan. 18. 31. *quorum consilium, & fraudem, & exhortationem homines extinguuntur. Nam Iudæi Domi-*

Ioann. 19. 6. *num nequaquam propriis manibus interfecerunt, sicut scriptum est: Nobis non licet interficere quenquam. Sed tamen illis mors Domini imputatur, quia ipsi eum lingua interfecerunt dicentes: Crucifige, crucifige eum. Incestum vero quantum sacri abhorreant Canones, concilium Ilerdense demonstrat: Cum his, inquit, qui incestu se pollutione commaculant, quamdiu in ipso detestando & illicito carnis contubernio perseuerant, nec cibum sumere vlli Christianorum, sicut Apostolus iussit, licebit. Porro scelus cum iumentis coeuntium quanta sit animaduersione plectendum, legislator Moyses declarat, cum etiam ipsa interfici animalia iubeat, quæ tali contaminata flagitio indignam refricant facti memoriam. Quia igitur abominabilem horum excessuum præsumptionẽ seuera satis districtione congruit insequi, prædictos propriæ prolis necatores, & tam ipsum facinus persuadentes, quam consentientes, seu quoslibet parricidas, aut cum matre, filia, consobrina, vel nepte agentes, quam cum iumentis coeuntes, arctiori pœnitentiæ iugo curetis compescere, & nisi senio confecti, vel corporis fuerint debilitate, seu egestate oppressi, eos ad Sedem Apostolicam compellatis venire, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli limina visitare, vt in sudore vultus sui, & viarum labore, superni iudicis iram euadere, & ipsius miseri cordiam valeant inuenire. Ad hæc qui dormiendo non voluntate, sed casu filios suos oppressisse inueniuntur, triennio, si iidem filij fuerint baptizati, si vero absque baptismate decesserint, quinquennio pœnitentiæ disciplinis subiaceant. Sacerdotes quos ab his cõuenit studiosius præcauere, officii sui perpetua executione priuentur. Verum si qui parentum absentes fuerint, quando eorum filii suffocantur, aut si id sub aliena custodia contigerit, extra culpam erunt, si tamen eos non sui iosæ, sed congruenti custodia ipsos se credide int, tradidisse.*

Præterea non sine cordis amaritudine quosdam Sacerdotes, contra Apostolicas institutiones, cum sicca face vini, vel cum micis panis vino intinctis missam celebrare audiuimus: & fideles laicos non Christiano more, absque Sacerdotali benedictione & missa matrimonium contrahere. Vnde illicita sæpe contingit fieri coniugia, & inter legitimas personas diuortium interuenire. Sane cum omne crimen atq; peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur quando in ipsa sacrificii oblatione erratur? Cum enim magister veritatis discipulis suis sacramentum commendaret nostræ salutis, non siccam facem vini, non micas panis vino intinctas accepit, sed panem & calicem & benedicens dedit discipulis suis.

Quia

Quia igitur secus agere Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ contrarium & consuetudini Ecclesiasticæ penitus est aduersum, Apostolica prohibemus auctoritate, vt cum siccafæce vini, vel cum micis panis vino intinctis, vel alio modo quam Dominus instituit, nullus de cætero sacrificare attemperet: sed secundum formam Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam vos in omnibus imitari oportet, solum panem & vinum aqua mixtum in sacrificio corporis & sanguinis Domini offeratis. Cæterum clandestina & absque sacerdotali benedictione non debere contrahi coniugia, aut nisi inter legitimas personas, quæ infra septimum gradum nulla consanguinitatis linea coniungantur, nec contracta nisi canonice & consensu Episcopi dissolui, multorum sanctorum Patrum declarat authoritas. Vos itaque muniti Sanctorum Patrum Sanctionibus & Ecclesiasticis institutis, hæc quæ dicta sunt diligenter seruate, & ab alijs præcipite inuiolabiliter obseruari, dispensationis moderamine vtentes, vt qui in quinto, vel quarto gradu coniuncti sunt, eos non separetis, sed ne amplius taliter coniungantur, pontificali auctoritate & districtione prohibeatis. Datum Tusculani. V. Idus Septembris.

ALEXANDER PAPA III. VPSALENSI ARCHIEPISCOPO, ET VNIVERSIS SVFfraganeis eius, tam in Suecia, quam in Gothia constitutis.

CONSTITVTIA *Domino, licet insufficientibus meritis, super gentes & regna, ex iniuncto nobis administrationis officio debitoque compellimur aciem nostræ considerationis ad vniuersum commissi gregis corpus extendere, atque omnium fidelium corda institutionis Apostolicæ ac doctrinæ salutaris imbre perfundere: vt sicut in omnem terram exiuit sonus Apostolorum, & in fines orbis terræ verba eorum: ita quoque nos, qui eorum cathedræ præsidemus, quibus non in vita merito, non in operum sanctitate, sed in pastorali dignitate & cura successimus, verbum salutis, Euangelium Christianæ atque Catholicæ veritatis annunciemus his qui longe, & his qui prope, nomen Apostolicum non inane neque nudum & in sola voce gerentes, sed in executione officij & veritate operis in quantum nobis Deus dederit, adimplentes. Audiuimus enim & audientes non potuimus non dolere, quod apud vos tam in Suecia videlicet quam in Gothia ex nimia & peruersa non libertate, sed abusione potius & insolentia laicorum, consuetudo pessima & omnino detestabilis inoleuit: ex qua etiam multa illicita prouenerunt, & mala non solum enormia, verum etiam intolerabilia pullularunt. Ipsi enim vobis inconsultis, sicut dicitur aut contemptis, concedunt & conferunt Ecclesias, quibus volunt: omnia simoniace siue per pecuniam, siue per priuatam gratiam aut odium agentes. Ex hoc autem multa dicuntur tam ipso actu quam exemplo nociua & perniciosa contingere. Quilibet enim & vndecunque Sacerdos adueniens, licet ordinationis suæ nullum habeat testimonium, solo mandato seu nutu etiam Laicorum, diuina in salutis eorum suaque periculum celebrare præsumit. Vnde nonnunquam euenit, vt monachi fugitiui vel homicidæ, seu quibuslibet irretiti & notati sceleribus, aut in gradum Sacerdotij non promoti, sacerdotio fungi nefaria nimis & damnabili præsumptione non metuant. Quilibet vero vel omnino carens Ecclesia, vel pauperem habens, & ditiorem ambiens, potentioribus de Parochia, data vel promissa pecunia alium non erubescit tam impudenter, quam illicite supplantare. Accedit ad hæc, quod clerici, siue ipsi aduersus laicos, siue laici aduersus eos litigantes experiri voluerint, laicorum iudicia subire, & secundum ipsorum instituta siue leges agere, vel defendere se coguntur. Nec solum inferioris ordinis clerici talibus iniurijs fatigantur: verum etiam vos ipsi, si iustitiæ rigorem zelo Dei succensi aliquando exercetis, aliquam contra vos causam inobedientis gregis inuidia machinante, vel ad id igniti ferri examen, vel ad aliquod aquæ prohibitum & execrabile iudicium prouocamini: nulla Canonibus qui id prohibent, seu pontificali dignitati exhibita reuerentia vel honore. Ad augmentum vero summamque malorum, clerici passim in eodem regno impune caduntur, quandoque etiam occiduntur. Et quidem grauia sunt ista, nec professionis opera Christianæ, sed inimici potius zizania reputanda.*

*Ad quæ radicitus euellenda, & de medio vestrum penitus extirpanda, tanto acrius vos decet &
oportet insurgere, quanto magis desides prælatos negligentesque respiciunt vitia subditorum, &
eorum culpa crimen adscribitur, quod ab his quibus præsident, & pro quibus etiam reddituri
sunt in extremo examine rationem, tam frequenter quam licenter & impune committitur, ma-*
Esai. 58. 1. *xime cum per Prophetam dicatur, Clama ne cesses annuncia populo meo scelera eorum & alibi.*
Ezech. 3. 8. *Nisi annunciaueris iniquo iniquitatem suam, sanguinem eius de manu tua requiram: Et in Ca-
nonibus Sacris, quos prudentiam vestram ignorare non expedit, scriptum legatur, Negligere,
cum possis, perturbare peruersos, nihil est aliud quam fouere: nec caret scrupulo societatis occultæ,
qui manifesto facinori desinit obuiare. Ex eo autem quod peccata ex nimia & longæua licen-
tia in consuetudinem iam venerunt, cum sit, iuxta quendam Philosophum, infelicitas consum-
mata, & vix videtur locus esse remedio, vbi quæ fuerunt vitia mores fiunt, & iuxta Euange-
lium, qui mortuus fuerat in peccato iam fœteat: multo maiori opus est ad suscitandum cum Do-
mino mortuum, non sine lacrymis & compassione, conamine, ne desperentur, sicut quatridua-
nus in monumento, quibus potest inuocato Dei nomine cum ipsius adiutorio subueniri. Vt er-
go etiam in eis glorificetur Deus, & sapientia honorificetur à filijs suis, caritatem Moysi pro po-
pulo Dominum obsecrantis, zelum Phinees vindicantis, contritionem Dauid orantis, misericor-
diam Iesu Christi super Hierusalem flentis, & pro Lazaro lacrymantis assumite; & habentes
secundum Apostolum scutum Fidei, loricam Iustitiæ, & galeam spem salutis, accingimini arma-
tura Dei, & pugnate cum antiquo serpente, eum de obsessis per inhabitantia peccata corporibus
expellentes, & diripientes vniuersa, in quibus habet fiduciam; eos quos domum sibi facere niti-
tur, cum gratia cælestis auxilio, à vitiorum sordibus emundantes, vt domus Dei templum vi-
delicet Domini Sanctum quod estis vos, dici ac fieri mereantur. Nec vos vllus terror ab officij
pastoralis executione retardet, recolentes & non tantum verbo, sed opere profitentes, quod ille*
Ioan. 10. 2. *summus & primus pastor docuisse legitur, & fecisse. Bonus inquit pastor animam suam ponit
pro ouibus suis. Et quoniam videntur per errorem, & tam diuini quam humani iuris ignoran-
tiam, apud vos inoleuisse mala, quæ diximus, & à laicis tanquam licita impune hactenus vsur-
pata, Sanctorum Patrum statutis tanquam armis vtentes, ipsis inniti debetis, atque ea & vos
cum eis his quæ illicite committuntur opponere, vt ex eorum scientia & auctoritate dispereant,
quæ per abusionem nimiam & ignorantiam succreuerunt. Sane laicos Ecclesias, vel Ecclesiasti-
ca beneficia dignitatesque concedere, seu de ipsis vlla ratione disponere, sanctorum Patrum ad in-
star sacrilegij prohibent instituta. Clericos autem, qui ab eis, vel per eos dato precio, siue gratis,
Ecclesiam, vel inuestituram Ecclesiæ seu Ecclesiasticæ dignitatis acceperint, præter ordinis sui pe-
riculum excommunicationis etiam pœnis condemnant.*

*Nam in Synodo Symmachi Papæ statutum legitur, Non placuit laicum statuendi in Eccle-
sia aliquam habere facultatem, cui subsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi. I-
tem laicis quamuis religiosis nulla de Ecclesiasticis dignitatibus aliquid disponendi legitur attri-
buta potestas. Item Calixtus Papa. Si quis principium inquit, vel aliorum dispositionem seu do-
nationem, siue possessionem Ecclesiasticarum rerum sibi vendicauerit vt sacrilegus iudicetur. I-
tem Paschalis. Nullus laicorum Ecclesiarum bona occupet, vel disponat. Qui vero secus egerit
iuxta beati Alexandri Capitulum, ab Ecclesiæ liminibus arceatur. Item Alexander. Per laicos
nullo modo quilibet clericus aut Presbyter retineat Ecclesiam neque pretio, neque gratis. Item
Paschalis. Si quis clericus, Abbas, aut Monachus per laicos Ecclesiam obtinuerit, secundum Apo-
stolorum sanctorum canones, & capitulum Antiocheni Concilij, subiaceat excommunicationi. I-
dem. Constitutiones sacrorum Canonum sequentes statuimus vt quicunque clericorum ab hac
hora inuestituram Ecclesiæ, vel Ecclesiasticæ dignitatis de manu laici acceperit, & qui ei manum
imposuerit, gradus sui periculo subiaceat, & communione priuetur. Et in hanc sententiam alia
multa Canonum instituta & sanctorum Patrum decreta conueniunt. Cæterum Ecclesias vel Ec-
clesiastica beneficia precij seu cuiuscunque muneris interuentu conferre simoniacum est, & si-
moniacam sapit procul dubio prauitatem. Porro Simonis crimen quam sit detestabile, quam hor-
rendum, ipsa vos eius infamis immanitas ignorare non sinit, ex quo profecto tam dantem quam
accipien-*

accipientem damnatio Simonis, qua sacra Actuum Apostolorum lectio protestatur, inuoluit. Ad cuius condemnationem cum plurima præter Apostolicam sanctionem sanctorum Patrum rescripta manauerint pauca credimus ex pluribus suffectura. Inter quæ primum sit illud Beati Gregorij: Presbyter, inquit, si Ecclesiam per pecuniam obtinuerit, non solum E.clesia priuetur sed honore sacerdotij spolietur: quia altare, decimas, & spiritum sanctum emere, vel vendere simoniacam hæresim esse nullus fidelium ignorat. Idem alibi. Audiuimus, dil. ctissimi, quod nos audire oportuit, sed audisse profecto non libuit: quosdam scilicet sacrorum ordinum esse professores, qui sub munerum datione, vel acceptione, Dei Ecclesias, vel earum sibi sacrificia vsurpant: quod quidem scelus vos non iam dudum acriter correxisse miramur. Iustè enim vterque corripiendus est, & à sancta liminibus Ecclesiæ summouendus, & qui pro Ecclesia ambitu munera largitur, & qui vt Ecclesiam dent, quicquam præsumit accipere. Iste quippe donum Dei emere, hic autem vendere præsumit. Sacrilegio quoque hoc facinus non dispar dixerim, cum id, quod sponte & sacro deliberationis arbitrio gratis fieri debuit, sub pecuniæ pactione causatur. Quare fratres dilectissimi, quæ taliter facta sunt, curiose refellite, infecta prohibete, vestrisque iussionibus resistentes digno anathematis vinculo percutere non dubitatę. Item. Si quis dator vel acceptor Dei Ecclesias, vel Ecclesiastica beneficia, quæ quidem præbendas vocant, sub pecuniæ interuentu, siue dando emerit, siue accipiendo vendiderit à Simonis non excluditur perditione. Non solum autem pecunia, sed & qualibet obsequij aut muneris species in huiusmodi criminaliter intercedit. Vnde idem Beatus Gregorius, Bene, inquit, cum virum iustum pro præbenda describeret, ait, Beatus qui excutit manus suas ab omni munere. Non dixit solum à munere: sed ab omni munere: quia aliud munus est ab obsequio, aliud à manu, aliud à lingua. Munus ab obsequio est seruitus indebite impensa, munus à manu pecunia est, munus à lingua fauor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in diuinis rebus, non solum pecuniam nullam, sed nec etiam humanam gratiam requirit. Quod autem sacerdos, aut quilibet clericus, aliunde adueniens, vel ignot · , sine vllo testimonio & literis saltem Episcopi sui in alia Diœcesi recipi aut ministrare non debeat, in Calchedonensi legitur concilio definitum per hæc verba: Extraneo clerico, vel lectori, extra suam ciuitatem sine literis commendatitijs proprij Episcopi nusquam penitus liceat ministrare. Item in Concilio Carthaginensi, Clericum alienum, nisi concedente eius Episcopo, nemo audeat retinere vel promouere in Ecclesia sibi credita. Item Beatus Augustinus in sermone quodam ad populum, Hortamur, inquit, Christianitatem vestram, vt iuxta sanctorum Canonum instituta, in Ecclesijs à vobis fundatis aliunde veniens presbyter non suscipiatur nisi à vestra fuerit Ecclesiæ Episcopo consecratus aut ab eo per commendatitias literas suscipiatur. Ad hoc ne clerici ad secularia iudicia pertrahantur, & Romanorum Imperatorum leges prohibent, quæ tanquam canones, vbi canonibus non obuiant, sunt abseruanda, & sanctorum Patrum ac prædecessorum nostrorum auctoritas interdicit. Scribit enim beatæ memoriæ Gelasius Papa dicens: Nemo vnquam Episcopum aut aliquos clericos apud iudicem sæcularem accusare præsumat. Item Alexander omnibus Orthodoxis: Relatum est ad huius sanctæ & Apostolicæ sedis apicem, cui summarum dispositiones causarum, & omnium negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput dicente, Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo, &c. quod quidam æmuli, eiusque Sanctæ Ecclesiæ insidiatores, sacerdotes Dei apud iudices publicos accusare præsumant, cum magis Apostolus Christianorum causas ad Ecclesias deferre, & ibidem terminari præcipiat. Taliter præuaricantes præuaricarunt in Deum suum, & non obediunt præceptis eius. Feruentis vero aquæ, vel candentis ferri iudicium, siue duellum, quod monomachia dicitur, Catholica Ecclesia contra quamlibet etiam, ne dum contra Episcopum ncn admittit. Vnde Stephanus Papa V. Ferri candentis, inquit, vel aquæ feruentis examinatione confessionem extorqueri à quolibet sacri non censent canones, & quod Sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinuentione non est præsumendum. Item, Nicolaus Papa, Manomachiam in legem non assumimus quam præceptā esse non reperimus: quam l cet iniisse quosdam legamus, sicut sanctum Dauid & Goliam Sacra prodit historia, nusquam tamen vt pro lege teneatur, diuina sanxit auctoritas, cum hoc & huiusmodi sectantes Deum solummodo tentare vi-

tare videantur. Praeterea illud adiiciendo mandamus, quatenus populum regimini, & gubernationi vestrae commissum decimas Ecclesiis fideliter & deuote persoluere, sicut ab ipso Domino noscitur institutum, diligenter ac sollicite moneatis, & si necesse fuerit sub districtione anathematis compellatis, iuxta illud Malachiae Prophetae in persona Domini loquentis: Inferte, inquit, omnem decimationem in horreum meum vt sit cibus in domo mea: Vnde in Concilio Moguntinensi: Decimas Deo & sacerdotibus Dei dandas Abraham factis, Iacob promissis insinuat, & omnes sancti sacerdotes commemorant. Item ex Concilio Rothomagensi: Omnes decimae terrae, siue de frugibus, siue de pomis arborum, Domini sunt & illi sanctificantur. Sed quia multi inueniuntur decimas dare nolentes, statuimus vt secundum Domini nostri praeceptum admoneantur semel, secundo, & tertio. Qui si non emendauerint, anathematis vsque ad satisfactionem & emendationem congruam feriantur. Nec tamen ideo ea, quae Ecclesiis, imo Deo, ipsi, vel parentes eorum contulisse noscuntur, reuocare, vel Ecclesiasticarum personarum dispositioni subtrahere volentes erunt aliquatenus audiendi: quae si homini contulissent repetere non valerent. Vnde Ambrosius in libro de poenitentia: sunt qui topes suas tumultuario mentis impulsu, non iudicio perpetuo, vbi Ecclesiae contulerint, postea reuocandas putant. quibus nec prima merces grata est nec secunda: quia nec prima iudicium habuit, & secunda habuit sacrilegium. Item ex concilio Agathensi. Clerici, vel saeculares, qui oblationes parentum, aut datas, aut testamento relictas, retinere persistierint, aut id quod ipsi donauerint Ecclesiis vel monasteriis, crediderint auferendum, sicut sancta Synodus statuit; velut necatoris pauperum, quousque reddant, ab Ecclesiis excludantur. Illos vero qui in clericos violentas manus, nisi forte se defendentes iniiciunt, poenam excommunicationis incurrere Sacrosancta Romana Ecclesia iam pridem statuit & inuiolabiliter tenet: nec a quoquam omnino nisi a Romano Pontifice, vel de mandato eius absolui patitur, aut permittit. Vos itaque ipsius quae omnium Ecclesiarum caput est & magistra, vestigiis inhaerentes, eius & nostrae in supradictis omnibus acquiescite sanctioni: & secundum ea quae a Sanctis Patribus & praedecessoribus nostris instituta praediximus obseruate, atque ab omnibus per Episcopatus vestros, quantum in vobis est faciatis firmiter & inuiolabiliter obseruari. Contemptores equidem Ecclesiastica praecipimus vsque ad condignam poenitentiam vltione percelli. Obedientibus autem sit pax Domini nostri Iesu Christi: quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, & in futuro praemia aeternae pacis inueniant. Datum Tusculani. IV. Idus septembris.

Malach. 3. 10.

ALEXANDER PAPA III. COLONI LINCOPENSI EPISCOPO.

Anno 1160. EX *Dispensatione commissae nobis sollicitudinis & ex debito caritatis viros Pontificali officio praeditos, & morum honestate ornatos sincera tenemur caritate diligere, & eorum vota quae a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere: vt tanto fortius ornamenta virtutum appetere, & honestis insistere moribus studeant, quanto se ab Apostolica sede maiore honore cognouerint & gratia praeueniri. Relatum siquidem est auribus nostris quod dilecto filio nostro Stenar, quondam Lingacopensi Episcopo claustralem quietem Episcopali honore praeponente, & Pontificalem dignitatem in manu venerabilis Fratris nostri Eshili Londensis Archiepiscopi, Apostolicae sedis legati, & regalia coram Rege & primatibus regni libere & spontanee resignante, clerus & populus eiusdem loci, de assensu praedictorum Archiepiscopi & Regis atque ducis terrae, te in patrem suum & Episcopum vnanimiter & concorditer elegerunt. Verum licet illi non licuit absque auctoritate Romani Pontificis Episcopali dignitati abrenunciare, volentes tamen necessitati Ecclesiae tuae paterna prouisione prospicere, & honestati tantorum virorum deferre, id aequanimiter supportamus, & electionem & consecrationem tuam ratam & firmam habentes, eam auctoritate Apostolica confirmamus, & tibi in subditis tuis corrigendi vitia & superflua resecandi plenam concedimus facultatem. Tu vero subiectorum culpas tanta redargutionis culpa insecteris, quod & qui culpabiles sunt suos excessus corrigant celeriter,*

celeriter, & emendent, & alij hoc videntes ad committenda similia non aspirent. Hac tamen consideratione prahabita, vt dure & aspere, leuiter & mansuete, secundum naturas & qualitates personarum, vitia corrigas subditorum. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum, hanc paginam nostra confirmationis infringere liceat, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare prasumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Tusculani. VI. Idus septembris.

ALEXANDER PAPA III. GVILLELMO STREGNENSI EPISCOPO.

FRATRES *& Coepiscopos nostros, & eos pracipue, qui in medio praua nationis sunt positi, & in remotis mundi partibus constituti, arctiori nos conuenit caritate diligere: & vt in commisso sibi amplius talento proficere valeant, & ad cultum Iustitia & domus Dei decorem fortius accingi, eis Apostolica sedis gratiam & fauorem nos conuenit impertiri. Attendentes igitur deuotionis tua constantiam, & fidei puritatem, qua Beato Petro & nobis immobili firmitate adharere conspiceris, te sicut venerabilem fratrem nostrum diligere & honorare, & tuis rationabilibus votis & desiderijs debita cupimus benignitate fauere. Inde est quod Ecclesiam tuam sub Beati Petri ac nostra protectione recipientes, ea qua in prasentiarum pacifice ac legitime possedit, & specialiter Neerië, sicut à rege & Metropolitano tuo, & à venerabili fratre nostro Eshilo Lundensi Archiepiscopo, Apostolica sedis legato, tibi confirmata est, & scripti sui munimine roborata, tibi & per te eidem Ecclesia auctoritate Apostolica confirmamus, & prasentis scripti patrocinio communimus. Statuentes vt nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostra confirmationis infringere vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare prasumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Tuscul. VII. Idus Septembris.*

ALEXANDER PAPA III. STEPHANO VPSALENSI ARCHIEPISCOPO, ET SVFfraganeis eius, & Guthormo Duci.

GRAVIS *admodum & difficilis est ad Apostolicam sedem querela perlata, quod Finni semper imminente sibi exercitu inimicorum, fidem seruare Christianam promittunt, & predicatores & eruditores Christiana legis desideranter requirunt, & recedente exercitu fidem abnegant, pradicatores contemnunt, & grauiter persequuntur. Vnde quoniam in hoc Deo illudere, & Christianam religionem deridere videntur, & illis se duplo filios gehenna constituentibus, salus & vita eorum tota in terrenis, neglectis calestibus, conspicitur consistere: nec est dignum vt eis in aduersitate Christianum nomen defensionem conferat, quod in prosperitate despicere & horrere probantur: vniuersitatem vestram monemus, atque mandamus, quatenus à fallaciis & fraudibus eorum ita prudenter & discrete de catero caueatis, quod si ingruerit necessitas, ad auxilium & defensionem vestram non possint recurrere, nisi munitiones, si quas habent, vobis tenendas assignent, aut alias, adeo sufficientem cautionem exhibeant & securitatem, quod amodo nullatenus pedem retrahere, aut vestram prudentiam valeant circumuenire: sed Christiana fidei documenta cogantur tenere firmiter & seruare ne amplius de eorum numero videantur, de quibus dictum est, Confitebitur tibi, cum benefeceris ei. Datum Tuscul. V. Idus Septembris.*

ALEXANDER PAPA III.
TRVNDENSI ARCHIEPISCOPO, & A. quondam Staueng. Episcopo.

Lex *Diuina & humana desiderat, & debitum charitatis exposcit, vt bono & vtilitati communi debeamus intendere, & ad reuocationem & conuersionem infidelium operam omnimodam & sollicitudinem adhibere. Inde est quod prudentiam vestram rogamus attentius & monemus, venerabili fratri nostro Fulconi Estonum Episcopo, qui ad conuertendam illam gentem diuina gratia inspiratus ministerium prædicationis & laborem proponit assumere, Nicolaum Monachum, qui de gente illa, sicut accepimus, est oriundus, virum religiosum atque discretum, in socium concedatis, vt tantum bonum possit perficere, & gentem illam ad agnitionem veri luminis, & ad culturam & doctrinam Christianæ fidei, verbo prædicationis auxiliante Domino reuocare, & vobis exinde valeat æterna mercedis cumulus prouenire. Datum Tuscul. V. Idus Septemb.*

ALEXANDER PAPA TERTIVS
VNIVERSIS TAM CLERICIS, QVAM laicis Lincopensis Episcopatus.

Anno 1160. Decet *vniuersitatem vestram, quæ ad perfectionem virtutum & salutem pertinet animarum, toto studio cogitare, & ex voluntario effectu perficere, per quæ gratiam posse-tis altissimi acquirere, & ad æterna felicitatis gloriam cum auxilio diuini numinis peruenire. Cæterum quoniam sine obedientia virtute nemo Deo perfecte potest placere, aut acceptum seruitium reddere, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus & mandando præcipimus, quatenus venerabili fratri nostro Coloni Episcopo vestro, sicut bonæ memoriæ Gyleni prædecessori suo fecisse noscimini, omnimodam obedientiam & reuerentiam impendatis, & in his quæ Dei sunt, & ad vestrarum animarum spectant salutem, monitis & mandatis eius humiliter parere curetis, & ei de iustitijs suis integre & plenarie respondeatis: ita quod apud Deum pro humilitate & obedientia vestra peccatorum vestrorum veniam, & gloriam valeatis promereri æternam. Si qui autem vestrum ei contumaces vel rebelles extiterint, sententiam quam idem Episcopus propter hos in eos rationabiliter tulerit, auctore Domino ratam & firmam habebimus. Datum Tusculani. XV. kalend. Octob.*

ALEXANDER PAPA TERTIVS
VNIVERSIS DEI FIDELIBVS PER Daniam constitutis.

Omnes *qui pie volunt in Christo viuere, & ad iubar circumscripti luminis, & ad illam cœlestem patriam, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, vbi nec fures fodiunt, nec furantur, nec tinea demolitur; peruenire desiderant, diem oportet extremum misericordiæ operibus præuenire, & æternorum intuitu seminare in terris, quæ cum multiplicato fructu largiente Domino recolligere possint in cælis. Scriptum est*
2. Cor. 9. 6. *enim: Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus de benedictione & me-*

ne & metet vitam æternam. Credimus sane vniuersitati vestræ innotuisse, qualiter venerabilis frater noster Iulio Estonum Episcopus, inopia & paupertate prematur, & ad conuertendam gentem illam sui Episcopatus, quæ Christianæ fidei ignara est, totis viribus elaboret, & quantam potest sollicitudinem ac diligentiam adhibere procuret. Quia vero particeps mercedis efficitur qui ei ad tam pium & sanctum opus perficiendum consilium & subsidium subministrat, deuotionem vestram monemus, & exhortamur in Domino, & remissionem peccatorum vestrorum iniungimus, quatenus de bonis à Deo vobis collatis prædicti Episcopi subleuantes inopiam, ei manum auxilij porrigatis, & caritatis solatia diuini amoris intuitu ministretis: vt per hæc & alia bona, quæ Deo inspirante feceritis, apud altissimum peccatorum vestrorum veniam consequi, & ad æternæ felicitatis gaudia mereamini, propitiante Domino, peruenire. Datum Tusculani. XV. Calend. Octobris.

REGI SVEONVM ET DVCIBVS, ET PRINCIPIBVS, ET EORVNDEM Archiepiscopo, & cunctis suffraganeis eius, Petrus Abbas Cellensis.

CVM *animi Deo deuoti principale & summum debeat esse studium, ad gloriam & honorem Dei omnia componere, si forte aliquatenus se omnipotenti Deo placere, vel leuiter senserit, cumulatis intrinsecus gaudijs totum se effundit, tanquam liquefactus post sponsum, acclamans & dicens; Exultabimus & lætabimur in te memores vberum tuorum. His nostra paruitas prouocata exemplis & si in multis imo pæne in omnibus, quotidie me sciam peccare, & non vt iustum est mancipari studijs, in hoc vno non vsquequaque despero de misericordia Dei, quia de manu nostra manipulum benigne suscepit, dominum Fulconem Episcopum, quondam monachum nostrum, & in claustrali religione à nobis enutritum, ad summum prouexit sacerdotium. Recognoscimus in eo vultum nostrum, & speramus quod non recedat cor eius à Deo nostro, & à mandatis eius. Cum ergo opportunitas grata obtulerit, quod tempus habere possumus, adhuc eum instruendi & informandi in ampliorem Dei dilectionem, gratanter & deuote excipimus, quia vlterius non e.m videndum, vsque ad thronum gratiæ, & ad distributionem æterni stipendij arbitramur. Ad hæc ipsa temporis incommoditas cooperatur desiderio nostro, si enim vterque nostrum vellet, discrimina & pericula quæ habet transire non posset.*

Anno 1161.

Cant. 1.

Folco seu Folquinus Aboensis ac Estoniæ Episcopus.

Inundantia enim aquarum, vt audiuimus, tanta est, vt vix serenissimis temporibus meabile sit iter quo ad vos peruenitur. Tertia denique causa subest, quia dominus Archiepiscopus noster Romam pergens officium suum nos supplere commisit. Nequaquam autem in dedicatione Ecclesiarum, vel ordinatione clericorum, vel confirmatione Christianorum Abbatis assurgit dignitas. Per ipsum ergo qui in omnibus noster est, implemus quod per nos non possumus. Veniet autem ad nos plenus DEI benedictione cum tempora fuerint meliorata. Valete.

ALEXANDRO PAPÆ TERTIO PETRVS ABBAS S. Remigij.

QVÆ *in euidenti & manifesto sunt vera, seipsa loquuntur, se ipsa nullo adminiculo adiuncto testantur. Quæ autem remotione loci, euolutione temporis, vel cuiuslibet implicatione*

caliginis profundum tenent ignorantia, cum rei publicæ poposcerit vtilitas, sub luce volunt videri. Hinc est sanctissime Pater, quod lator præsentium, in gremio nostræ humilitatis coalescens, habitum religionis à nobis in monasterio Cellensi suscepit, diuque ibi vbera vino meliora sugens, in virum Episcopalem gratia Dei cooperante profecit. Reuera opus & onus iniuncti officij amplectens, non aurum robur suum ponens, nec obrizo dicens, fiducia mea. Quærit enim à Sede Apostolica mortem per mortem, quia & in itinere quo pergit, mortem minatur æstas, & Imperialis potestas, & quam exposcit, si obtinuerit, mortem importat Barbarorum infida Societas. Habet itaque animam suam in manibus suis, offerens illam Deo per manus cœlestis clauicularii & vestram. Excipite, si placet, hostiam sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium, & beatissimi Apostolatus vestri auctoritate exponite ouem lupis, si forte beata conuersatione lupus non comedat agnum, sed agnus conuertat lupum. Quodlibet autem horum fiet, DEVS glorificabitur, ministerium vestrum honorificabitur, & anima fratris nullum detrimentum patietur. Præsumo enim à præteritis, quæ in eo enutriui, & multis didici argumentis, quod in commisso fidelis erit, & à tramite fidei nullo incursu exorbitabit, potiusque dabit sanguinem, quam imminuat fidem. Ait Apostolus: spiritum nolite extinguere; & lucernam iam in modio accensam amplioribus suffusoriis accendite: quia hæc est gloria & corona vestra, si granum frumenti per manum vestram in terram cadens multum fructum attulerit.

Folco Episcopus Aboensis.

LVNDENSI ARCHIEPISCOPO
PETRVS ABBAS
Cellensis.

ÆTERNAS & antiquas venas misericordiarum & benedictionum suarum perfusa in omni largitate diuina gratia his temporibus, licet caritas multorum refrigescat, nondum exclusit. Quamuis enim reconditos & labentes sinus gratiæ in mentibus multorum fidelium DEVS in Ecclesia sua adhuc retineat: vos præcipue tanquam lucernam super candelabrum positam, oleo multiplici perfudit, vnde multa areola Ecclesiarum, Episcoporum, pauperum, viduarum, tam suauiter quam abundanter irrigantur. A multis siquidem retro temporibus, non in vacuum siue gratiam, siue pecuniam DEI excepistis, ligando illam in sudario, vel infra domesticos parietes recludendo. Quis enim ad vos accedens vestram non sensit benedictionem? quis quantumlibet tepens, audiens vel videns conuersationem vestram, manum egenis expositam, ostium viatoribus patens, iudicium & iustitiam æqua lance, causam non personam discernens, omnemque reliquam actionum & sermonum vestrorum regionem perlustrans, non calefactus, non melioratus, non bene instructus abiit? DEO gratias, qui iuxta consuetudinem suam gratiam pro gratia superabundare facit in vobis, vt melior sit finis orationis quam principium, & vt exitus matutini & vespere delectabiles fiant.

Adhuc enim stillant manus vestræ aromata DEI, quæ de thuribilis Sanctorum per manus Angelorum, in incensum suauitatis naribus sedentis super thronum gratiæ referantur: quatenus in æterna tabernacula vos recipiant, qui de bonitate & beneficiis vestris in terris sustentati, per gratiarum actionem in cœlo iam sunt recepti, vel adhuc recipiendi. Pauper iste Episcopus Dominus Fulco, quem per Euangelium in CHRISTO ego genui monachum, & vos Episcopum, de magnificentissima liberalitate vestra, DEO gratias nobiscum refert, exponens quod sustentamentum vitæ & peregrinationis suæ vos habet & semper habiturum confidit. Scitis, Domine Pater, quam duram prouinciam sortitus sit, & quod omni mora suam in manibus suis posuerit, potius mortem semper expectans, quam longam vitam. Scitis etiam, quia qui Prophetam in nomine Prophetæ recipit, mercedem Prophetæ recipit. Vnde remittimus eum ad vos & commendamus eum DEO & vobis. Retinuimus eum siquidem malo tempore, remittimus

Folco Aboensis ac Estoniæ Episcopus.

mittimus autem bono & congruo, vt visitet messem, vtrum matura sit ad metendum, an immatura ad laborandum. Manum siquidem misit ad aratrum ope vestra & opere, ad Christianitatem dilatandam, & horrea Dei fertiliore segete implenda. Vestrum enim, vestrum est, quicquid incrementi prouenerit ex labore ipsius, quia & de vestro viuit, tanquam operarius Dei & vester, & ad gloriam vestram respicit atque coronam, quodcumque Christo acquirere potuerit. Non igitur obturandum est os boui trituranti, neq. palea subtrahenda.

INNOCENTIVS PAPA TERTIVS
Illustri Regi Succiæ.

TAM *Cleri quam populi Noruegiens. promerentibus culpis permittente Domino credimus accidisse, quod vsque adeo in vos & totum Regnum Noruagiæ tyrannica Sueri crudelitas, & violentia detestanda præualuit, vt in Regnum nec electione Principum, prout accepimus, nec ratione sanguinis occuparit, & in viros Ecclesiasticos, ipse quondam Ecclesiastico, sicut dicitur, functus officio debacchetur, Ecclesias opprimat, Clericos persequatur, affligat pauperes, & sæuiat in potentes, ita vt diuino credatur accidisse iudicio, vt qui secundum etiam suam assertionem illegitime natus ad sacros non fuerat Ordines promouendus, contra sanctiones Canonicas assumptus ad eos, fortius in illos desæuiat, qui in ordinatione ipsius, Statuta Canonum non seruarunt. Miramur autem non de Deo qui ad correctionem vestram eius tyrannidem hactenus tolerauit, nec de ipso, cuius spiritus obstinatus in malo, malum dediscere, assuetus iniquitati, non potest; sed de his qui Apostatam Sacrilegum & nefandum, adhuc etiam Sacrilega temeritatis ausa sequuntur, & ei prabent auxilium & fauorem, cuius tyrannidem persequi potius pro viribus tenebantur. Licet autem ad edomandam eius versutiam frequens mansuerit ab Apostolica Sede mandatum; nondum tamen sic eius potuit peruersitas refrænari, quin adhuc quibusdam eum in suarum sequentibus perniciem animarum in quadam parte Noruagiæ dominetur, & in ea rabiem superet Aquilonis. Qui vt amplius vos & vniuersum Noruagiæ populum circumuenirct, & auctoritate Apostolica Regnum sibi ostenderet confirmatum, bonæ memoriæ C. Papæ Prædecessoris nostri Bullam falsare non timuit, qua varias literas sigillauit: Sed is cui manifesta sunt omnia eius falsitatem detexit. Ne autem eius peruersitas diutius desæuiat in insontes, Serenitatem Regiam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, ac per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad defendendas Ecclesias, Clericos in sua libertate tuendos, liberandos pauperes & potentes de manu persecutoris illius, imo etiam ad deiiciendum monstrum illud, quod iis solis parcit, quibus nocere non potest, taliter accingaris, vt & à Deo retributionem æternam, & nostram consequi gratiam specialius merearis. Persecutoribus tantæ iniquitatis assistas, resistas sequacibus, ita quod membrum illud Diaboli non possit in Regno Noruagiæ denuo debacchari, aut persecutionem in Ecclesiis vlterius suscitare. Datum apud Ciuitatem Castellanam secundo nonas Octobris Anno primo.* Anno 1198.

INNOCENTIVS PAPA TERTIVS
VALERIO ARCHIEPISCOpo Vpsalensi.

VINEAM *Domini Sabbaoth multiformes moliuntur bestiæ demoliri, quarum incursus adeo inualuit contra ipsam, vt ex parte non modica pro vitibus spinæ succreuerint, & quod gementes referimus, ipsa iam vites, pro vua labruscam, infecta multiplicitus, & corrupta. Illius ergo testimonium inuocamus, qui testis est in cælo fidelis, quod inter omnia desiderabilia cordis nostri, duo in hoc sæculo principaliter affectamus, vt ad recuperationem videlicet terræ Sanctæ, & reformationem vniuersalis Ecclesiæ valeamus intendere cum effectu, quorum vtrumque tantam requirit prouisionis instantiam, vt absque graui & grandi periculo vltra dissimulari nequeat* Anno 1214.

nequeat vel differri. Vnde Supplicationes & lachrymas frequenter effundimus coram Deo, humiliter obsecrantes, quatenus super his suum nobis beneplacitum reuelares, inspiraret affectum, accenderet desiderium, & propositum confirmaret, facultatem & opportunitatem praestando ad ea salubriter exequenda. Quapropter habito super iis cum fratribus nostris & aliis viris prudentibus frequenti ac diligenti tractatu, prout tanti sollicitudo propositi exigebat, hoc tandem ad exequendum praedicta de ipsorum consilio prouidimus faciendum, vt quia haec vniuersorum fidelium communem statum respiciunt, generale concilium iuxta priscam Sanctorum Patrum consuetudinem conuocemus propter lucra solummodo animarum opportuno tempore celebrandum, in quo ad extirpanda vitia & plantandas virtutes, corrigendos excessus, & reformandos mores, eliminandas haereses, & roborandam fidem, sopiendas discordias, & stabiliendam pacem, comprimendas oppressiones, & libertatem fouendam, inducendos Principes & populos Christianos ad succursum & subsidium Terrae Sanctae tam à Cleris, quam à Laicis impendendum cum caeteris quae longum esset per singula numerare; prout de statuantur inuiolabiliter obseruanda circa Praelatos & subditos Regulares & Saeculares quaecunque de ipsius approbatione concilij visa fuerint expedire ad laudem & gloriam nominis eius, remedium & salutem animarum nostrarum ac profectum & vtilitatem populi Christiani. Quia vero ante biennium vniuersale non posset concilium commode congregari, disposuimus interim per viros prudentes in singulis Prouincijs plenius explorare, quae apostolicae prouisionis limam exposcunt, & praemittere viros idoneos ad Terrae sanctae negotium procurandum, vt si exigente necessitate sacrum Concilium approbauerit, nos personaliter ipsum negotium assumamus efficacius promouendum. Credentes igitur hoc salutare propositum ab illo descendere, à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, Vniuersitati Vestrae per Apostolica scripta praecipiendo mandamus, quatenus vos taliter praeparetis, quod à praesenti Dominica Incarnationis Millesimo, ducentesimo tertio decimo anno, vsque ad duos annos & dimidium praefixis vobis pro termino Calendis Nouembris nostro vos conspectui praesentetis, cum modestia & cautela, ita quod in vestra Prouincia, vnus vel duo de suffraganeis valeant Episcopis remanere, pro Christianitatis ministerijs exercendis, & tam illi quam alij, qui canonica forte praepeditione detenti personaliter venire nequiuerint, idoneos per se dirigant responsales personarum & euectionum mediocritate seruata, quam Lateranense Concilium diffiniuit, vt nullus omnino plures, quiuis autem adducere secum possit, nec quisquam superfluas faciat & pomposas, sed necessarias tantum & moderatas expensas, ostendendo se actu & habitu verum Christi cultorem; cum non saecularis applausus, sed spiritualis profectus in hoc sit negotio requirendus. Iniungatis autem vos fratres Archiepiscopi & Episcopi ex parte nostra vniuersis Ecclesiarum Capitulis non solum Cathedralium, sed etiam aliarum, vt Praepositos vel Decanos, vel alios viros idoneos ad Concilium pro se mittant, cum nonnulla sint in ipso tractanda, quae specialiter ad Ecclesiarum Capitula pertinebunt. Interim vero & per vos ipsos, & per alios viros prudentes vniuersa subtiliter inquiratis, quae correctionis aut reformationis studio indigere videntur, & ea fideliter conscribentes, ad Sacri Concilij perferatis examen circa subuentionem necessariam Terrae Sanctae, vbi Deus Rex noster ante saecula salutem in medio Terrae dignatus est operari opem & operam efficaciter impensuri; assistendo fideliter & prudenter iis, quos deputauerimus ad hoc negotium specialiter procurandum. Nullus itaque se fallaciter excusando ab executione tam sancti operis subtrahatur, si Canonicam vult effugere vltionem. Nemo dissensionum obstacula vel itinerum impedimenta causetur, quae Domino faciente signum in bonum ex magna iam parte cessare coeperunt. Nam & quanto imminent maiora pericula, tanto potiora remedia conuenit adhiberi. Nunquam enim nauigabit per aequora, qui semper expectat vt mare non concipiat ex se fluctus. Datum Laterani XIII. Calendas Maij, Pontificatus nostri Anno XVI.

HONO-

HONORIVS PAPA III. VALERIO ARCHIEPISCOPO VPSALEN. ET SVFFRAGANEIS EIVS ET MAGIstris eiusdem Prouinciæ & Decano & Archidiacono Vpsalensi.

Anno 1216.

INTER *cætera quæ ad succursum Hierosolymitanæ Prouinciæ statuta fuerunt in Concilio generali, hoc de communi assensu omnium Prælatorum ibidem præsentium fuit salubriter ordinatum, vt omnes omnino Clerici tam subditi quam Prælati vicesimam Ecclesiasticorum prouentuum vsq; ad triennium integre conferant in subsidium Terræ Sanctæ, per manus eorum qui ad hoc Apostolica prouidentia fuerint ordinati, quibusdam duntaxat Religiosis exceptis ab hac præstatione merito eximendis, illisq; similiter qui assumpto vel assumendo Crucis signaculo sunt personaliter profecturi, ad quod omnes fideliter obseruandum per excommunicationis sententiam decretum est esse legatos, ita quod illi qui super hoc fraudem scienter commiserint, sententiam excommunicationis incurrant. Vt igitur hoc salutare statutum debitum consequatur effectum, dilectis filiis Magistris Domorum militiæ templi & Hospitalis Hierosolymitani in Vpsalen. Prouincia constitutis, & Decano & Archidiacono Vpsal. hanc sollicitudinem duximus committendam, dantes eis plenariam potestatem eligendi & ordinandi duos idoneos Clericos siue plures, ac etiam duos fratres, vnum Templi & alium Hospitalis, quos auctoritate nostra per Prouinciam vestram transmittant, cum suarum testimonio literarũ ad ipsam vicesimam colligendam. Quocirca Fraternitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus vestris & subditorum vestrorum redditibus, à tempore in Concilio præfinito diligentius computatis parati sitis vsq; ad festum omnium Sanctorum de vestris certis redditibus certam summam vicesimæ Nunciis prædictorum quibus hoc commisimus declarare, ac ipsis vsq; ad Calendas Maij consequentes sine difficultate ac dilatione qualibet tam de ipsis certis prouentibus, quam etiam de incertis vicesimam integraliter exhibere, monentes diligentius auctoritate nostra & efficacius inducentes Abbates & Capitula & Decanos, necnon & in singulis vestris Synodis Sacerdotes & alios Clericos vniuersos in vestris Diocesibus constitutos, vt in diebus super hoc ordinandis à vobis in singulis Ciuitatibus sint parati prædictam summam vicesimæ per triennium Nunciis prædictis plenarie soluere secundum terminos constitutos. Sic autem in hoc negotio vos prudenter & fideliter habeatis, quod exinde non possitis merito reprehendi, sed potius valeatis à Deo præmium æternum in cælis, & laudem à nobis & aliis expectare, cæterique vestro exemplo ad prædicta bona fide inuiolabiliter exequenda fortius animentur. Abbates autem Præmostraten. & Cistercien. Ordinum per Quæstores huiusmodi non prouidemus requirendos. Datum Romæ apud S. Petrum XI. Calend. Decembris. Pontificatus nostri Anno primo.*

HONORIVS PAPA III. VALERIO ARCHIEPISCOPO VPSALENS. & suffraganeis eius.

Anno 1216.

MAGNVS *Dominus & laudabilis nimis, gloriosus in Sanctis, mirabilis in Maiestatibus faciensque prodigia, immittat tempora alto suæ dispositionis consilio, cui consiliarius alius non existit, & vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius, sed quemadmodum scriptum est, qui gloriatur in Domino glorietur. Ipse namq; dat secretorum Scrutatores, quasi non sint, & velut inanes iudices terræ facit, arefaciens stagna flumina in insulas collocando, ab oriente & occidente congregat sibi semen, & dicit Aquiloni da, & Austro noli prohibere, vt illi quibus arridet prosperitas filios Aquilonis impedire non possint venire in gratiam filiorum, qui ponit humiles in sublimi, & mærentes erigit sospitate. Cumq; incomprehen-*

comprehensibilia sint iudicia sua, & inuestigabiles eius viæ, istud ex eis tenemus pro certo, quod omnia iusto facit iudicio, nobis tamen ineffabili & occulto. Sane feliciis recordationis Innocentio Papa Prædecessore nostro septimo decimo Calendas Augusti soluto debito carnis, ad regionem Sanctorum Spirituum, vt credimus, euocato, & sequenti die celebratis exequiis, ac cum honore debito collocato ipsius corpore in sepulchro, vna cum Fratribus nostris ad eligendum conuenimus successorem, & die tertio Spiritus Sancti gratia inuocata, super hoc tractauimus diligenter, & post tractatum diutinum placuit fratribus vniuersis humeris nostris quamuis insufficientibus imponere onus istud; Et licet in primis duxerimus resistendum, ne tamen videremur vocationi diuinæ resistere, submisimus humeros ad portandum, sperantes in eo, qui linguas infantium facit esse disertas, quod ipse qui vota fratrum aspirando preuenit, prosequatur etiam adiuuando. Fiduciam enim talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed nostra sufficientia est ex Deo, qui nos ad suum ministerium euocauit. Sollicitudine igitur Ecclesiasticæ prouisionis assumpta, & spe non modica de vobis concepta, quos nobis misericordia Conditoris ad tanti oneris grauitatem facilius perferendam in participium instantia nostra quotidiana assumpsit. Vniuersitatem vestram rogamus attentius, & monemus & exhortamur in Domino, quatenus insufficientiam nostram apud eum, qui dat omnibus affluenter & non improperat orationibus adiuuetis, & circa commissam nobis Dominici gregis curam diligenter & vtiliter vigilantes nostrum satagatis humiliter supplere defectum, & iniunctam nobis pastoralis oneris grauitatem, vigilanti studio comportetis, & in Ecclesiastica vnitate, obedientia, & deuotione Apostolicæ Sedis, quibus hactenus Ecclesia Vpsalen. inter cæteras potissimum floruit & fructificauit suauitatem odoris, sicut ager plenus cui benedixit Dominus firmiter persistentes, ad ea quæ pacis sunt impendatis studium diligens & operam efficacem. Nos enim vos tanquam principalia membra Ecclesiæ honorare intendimus, & in quantum permiserit Dominus in vestris necessitatibus adiuuare. Adhæc volumus & mandamus, vt Cruce signatos vestrarum Diocesum attentius exhortemini, ne propter obitum præfati Prædecessoris nostri consternentur corda eorum, neque formident, quasi ex hoc Terræ Sanctæ impediatur succursus: quoniam & si sufficientia illius nostra videatur inferior, ad liberationem tamen ipsius terræ votis non minoribus aspiramus, quibus ipse Dominus, qui sperantes in se nullatenus deserit effectum tribuat & profectum, vt quod possibilitas nostra non obtinet, eius nobis gratia largiatur. Datum Perusij VIII. Calendas Augusti. Pontificatus nostri anno primo.

HONORIVS PAPA III. CLERO ET POPVLO DE GVTHLANDIA.

Anno 1216. IVSTIS *petentium, &c. vsque assensu. Compositionem super distributione Decimarum totius terræ vestræ inter vos & Venerabilem Fratrem nostrum Lincopen. Episcopum de assensu & auctoritate Venerabilis fratris nostri Lunden. Archiepiscopi amicabiliter initam, sicut sine prauitate prouide facta est, & ab vtraque parte sponte recepta, & multis temporibus approbata, ac in prædictorum Archiepiscopi & Episcopi literis dicitur contineri, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, &c. nostræ confirmationis, &c. Si quis autem, &c. Datum Laterani III. Calendas Februarij Pontificatus nostri Anno primo.*

HONORIVS PAPA III. VALERIO VPSALEN. ARCHIEPISCOPO ET SVFfraganeis suis & Episcopis per Lunden. Prouinciam constitutis.

Anno 1216. I*S qui facit Angelos suos Spiritus cum singuli sint ad ministeria deputati per eos operatur suæ dispositionis arcanum, idemque vnus stabilis & incommutabilis perseuerans, prout vult diuidit singulis, & dispensat secundum secreti sui consilium vniuersa. Non aliter autem immo fere similis*

simili ratione præsens Ecclesia, quæ peregrinatur in terris ad instar illius, quæ in gaudiorum æternitate triumphat, plures ordines habet, de quibus is qui supremum locum obtinet in eadem vni præcipit, & ille iubentis exequitur voluntatem. Cumque cæteri vocati sint in partem sollicitudinis, vnus tamen præminet ex plenitudine potestatis, qui cum non possit vbique personaliter interesse, agit plerumque per alios vices suas, vt sic membra singula virtutem capitis repræsentent. Ex hoc itaque fuit, quod non tam persona Venerabilis Fratris nostri Lunden. Archiepiscopi meritum, quam fructum qui prouenire poterit animarum sedula moderatione pensantes vices nostras tam in Lunden. quam in Vpsalen. Prouincijs eidem Archiepiscopo duximus committendas, vt de ipsis fructum afferat qui non perit, & sui nominis redolentis opinio respiret odorem agri pleni, cui Dominus benedixit. Proinde in his quæ ad suam audientiam de prædictis Prouincijs deferuntur examinatis seu cognitis causæ meritis diligenter malos coerceat, & iniquos & iuxta modum culpæ canonica districtio culpam feriat delinquentis, ita quod illibatas seruet cuilibet iura sua, & si ab aliquo ab ipso Archiepiscopo fuerit appellatum deserens honori sedis Apostolicæ sicut debet terminum statuat appellanti, infra quem nisi appellationem suam fuerit prosecutus, ex tunc in negotio ipso præuia ratione procedat. Cum autem contigerit Archiepiscopum memoratum dictas Prouincias visitare, procurationes exigat moderatas, & si qua beneficia tanto tempore vacauerint, quod ad nos sit eorum collatio secundum Statuta Lateranen. Concilij deuoluta, liceat ipsi Archiepiscopo personis idoneis ipsa conferre. Præterea plus animarum periculo præcauere, quã eidem Archiepiscopo prouidere volentes, auctoritate præsentiũ indulgentes vt liceat sibi iis qui in Canonem latæ sententiæ inciderunt, munus absolutionis impendere, nisi tam fuerit enormis excessus, quod propter atrocitatẽ iniuriæ, vt alij terreantur exemplo ad sedem sint Apostolicam destinandi. Ad hæc cum Crucesignatis qui fuerint in Prouincijs antedictis inhabiles ex facultatibus aut personis ad subsidium Terræ Sanctæ sibi liceat cum expedire viderit dispensare vota peregrinationis vnius in aliud commutato. In his autem & alijs quæ Pontificalem exigunt grauitatem sic sæpe dictum Archiepiscopum speramus auctore Domino processurum, quod officium creditæ sibi sollicitudinis pastoralis ad honorem Dei & Ecclesiæ Romanæ proficiet, ac salutem operabitur animarum. Datum Laterani Calendis Februarij. Pontificatus nostri anno primo.

HONORIVS PAPA TERTIVS VALERIO ARCHIEPISCOPO VPSALEN. & suffraganeis eius.

APPROBANTE *generali Concilio extitit ordinatum, vt omnes omnino clerici tam subditi quam Prælati vicesimam Ecclesiasticorum prouentuum vsq; ad triennium integre conferant in subsidium terræ sanctæ per manus eorum qui ad hoc fuerint Apostolica prouidentia deputati, quibusdam duntaxat Religiosis exceptis ab hac præstatione merito eximendis, & illis qui assumpto vel assumendo crucis signaculo illuc sunt personaliter profecturi. Sane super modo dispensandi huiusmodi vigesimam audiuimus consilia diuersorum, quibus inter se plurimum variantibus, illud de consilio fratrum nostrorum prouidimus eligendum, secundum quod viderimus ipsam vicesimam distribuendam vtilius, & tam ab ijs qui conferrent, quam ab illis quibus fuerit distributa materiam suspitionis & murmuris melius amputandam, vt videlicet vicesima cuiusq; Diocesis redacta fideliter in pecuniam sub certo numero comprehẽdendo in authenticorum virorum & præsertim illorum qui eam collegerint testimonialib. litteris nobis etiam explicando vltra mare portetur per quatuor vel quinq; seu plures viros prudentes clericos & laicos cruce signatos illius Ciuitatis & Diocesis, qui notæ fidei, discretionis, & opinionis existant, quorum vnus sit Episcopus loci siquidem Cruce signatus extiterit reliquis ab Episcopo Diocesano & ipsius vicesimæ collectoribus eligendis, & per manus ipsorum de conscientia tamen Cardinalis qui fuerit ibi legatus distribuatur fideliter & discrete Crucesignatis egentib. & vtilibus negotio terræ sanctæ & præsertim de illa Diocesi, vbi vicesima illa collecta fuerit oriundis, ijdemque distributores ipsi legato & Magistris Hospitalis & Templi reddant diligentissime rationem, per quam redactam in* Anno 1216.

P *scriptis*

scriptis appareat euidenter, pecuniam quam vt præmissum est sub testimonialibus litteris secum attuleris esse Crucesignatis fideliter & vtiliter distributam, & tam testimoniales litteræ super quantitate pecuniæ commissæ distributoribus ipsis, quam scriptura ratiocinij quod Cardinali & Magistris reddiderint antedictis diligentissime conseruentur, vt & eorundem distributorum fides & diligentia illarum testimonio pateant, & suspiciosorum conquiescant mentes & labia conticescant. Quocirca fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus hac solenniter per vestras Dioceses publicantes difficultatem seu moram aliquam vllatenus innectatis, vel permittatis innecti, quin tam collectio vicesima per eos qui ad hoc à bona memoria Innocentio Papa Prædecessore nostro fuerunt, vel à nobis fuerint deputati sine fraude ac expensarum discrimine prout ad eos pertinet, quam alia prout superius sunt descripta efficaciter valeant executioni mandari. Sane pecuniam collectam & colligendam in truncis per distributores prædictos distribui volumus & mandamus inter Crucesignatos strenuos & prudentes de populo illo vbi fuerit pecunia ipsa collecta, quibus ad peragendum votum suum propria non suppetunt facultates, quæ recepta sub testimonio virorum fidelium Crucesignatis ipsis distribuatur tempore arripiendi itineris, vel in portu prout videbitur expedire ipsis distributoribus rationem de illa sicut de alia in scriptis fideliter reddituris. Datum Laterani II. Calendas Martij anno primo.

HONORIVS PAPA TERTIVS EPISCOPO FILANDIÆ.

Anno 1220. CVM sicut ex litteris Venerabilis Fratris nostri.. Vpsalen. Archiepiscopi nostro est Apostolatui reseratum Ecclesia tibi commissa de nouo ad agnitionem venerit veritatis, & à circumadiacentibus barbaris nationibus, quæ plantationem nouellam eradicare nituntur, tribulationes multas sustineat & pressuras, ac earum sæuitia ex subtractione mercimonij possit non modicum cohiberi, auctoritate tibi præsentium indulgemus, vt Christianos circummanentes, ne ad eos nauigent, & victualia seu alia necessaria deferant, monitione præmissa per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compescas. Nulli ergo &c. nostræ concessionis infringere. Si quis autem &c. Datum Laterani Idibus Ianuarij anno quinto.

HONORIVS PAPA TERTIVS ILLVSTRI REGI SVETIÆ.

Anno 1220. VT potentibus huius sæculi Dominus in Ecclesiis & rebus Ecclesiasticis, quæ sibi speciali titulo sunt ascripta, omnem omnino interdiceret potestatem. Ozam pro eo quod Arcæ fæderis, sanctam Ecclesiam præsignanti, manum apposuit, vt inclinatam sustentaret eandem grauiter mox percussit; ostendens quantam veli Ecclesiæ reuerentiam exhiberi, dum eum qui Arcam, quæ figura erat Ecclesiæ, non vt deprimeret, sed attolleret, tetigit ex eo solummodo, quod ad huiusmodi ministerium non erat addictus, acriter sic puniuit. Vnde tacti sumus dolore cordis intrinsecus, quod sicut ad audientiam nostram peruenit, tu & Principes & Magnates tui hæc minime attendentes, Ecclesias & res Ecclesiasticas nimis irreuerenter inuito Domino contrectatis, dum inter alia quibus grauatis easdem, quoties Ecclesiam Cathedralē vacare contingit, vos bonis vacantis Ecclesiæ nimis reprehensibiliter apprehensis, Capitulum ad quod electio pertinet successiris, ad electionem pro:edere non sinentes, contra Canonicas sanctiones quem vulsis intruditis in Ecclesiam viduatam dando intruso annulum & baculum Pastoralem. Quidam etiam Sæculares Iudices sacros Canones contemnentes in contrahendis & dirimendis matrimonijs, & in aliis quampluribus, ius Episcopale sibi damnabiliter vsurpantes, Ecclesias Presbyteris dant & auferunt quando volunt, nec attendentes quod seruus suo Domino stat & cadit, Clericos sua iudicia subire compellunt. Nos igitur tam depressionem Ecclesiasticæ libertatis, quam animarum pericula ex his euenientia manifeste debito fauore zelantes, Celsitudinem Regiam rogamus, monemus, & hortamur attente, quatenus prudenter attendens, quod honor Regis est, vt iustitiā diligat, quæ se diligit & dirigit diligentes, non solum ipse ab huiusmodi abusibus prorsus abstineas, verum etiam quo-

itm quoslibet tibi subditos, tradita tibi cælitus potestate abstinere cāpellas te ac alios ab occupandis bonis Ecclesiasticis cohibendo, & permittendo electiones vacantibus Ecclesiis libere celebrari, & alias personas Ecclesiasticas seruando in omnimoda libertate, ita quod offensam redimas precedentem, & in gratiam te aduehas potiorem, ac nos mansuetudinem Regiam possimus merito commendare. Datum Lateran. III. Nonas Nouembr. anno quinto.

HONORIVS PAPA TERTIVS OLAO VPSALEN. ARCHIEPISCOPO & Episcopo Scaren.

NE si fetus Vineam Domini nostra cura commissam positas vndique solitudines redigere neglexerimus ad culturā, & propogare in eis propagines, quæ flores odoris & fructum afferant honestatis, possimus merito de torpore seu desidia reprehendi, licet vndecima sit hora, operarios tamen in ipso proponimus destinare, qui sarculo prædicationis ex circumadiacentibus nationibus vitiorum spinas euellentes & vepres, & extendentes in easdem palmites fidei, compluentesque illas aquis, quæ transeunt inter medium montium ipsas florere faciant, & virtutum germina germinare, ac sic effundente Domino Spiritum de excelso in solitudine iudicium quo se cum Deo & coram Deo ne ab eo iudicetur diiudic. habitet, fiatq; nationum desertum in Chermel. in vera circumcisionis scientiam veniendo, & postquam intrauerit gentium plenitudo, tandem reconciliationis iustitia sedeat in Chermel in Israelitico populo, qui nunc reputatur in solitu. Verum cum multi per Dei gratiam ad hoc opus idonei latitent intra Ecclesiam otio contemplationis vacantes amplexibus infæcundæ Rachelis, videntis tamen subtilius inhærendo, qui se in cultura Dominicæ Vineæ non curarunt hactenus exercere, Lyæ fæcundæ licet lippæ quasi connubium aspernando, ipsos per te ac alios Ecclesiarum Prælatos, ne cum tota die circa propagationem ac dilatationem vineæ Dominicæ steterint ociosi, quod nemo eos conduxerit valeant excusari, duximus excitandos, vt & in hac vndecima hora conducti mandragoris Lyæ ingrediantur cubiculum, & Vineam Domini studeant propagare, laboraturi quasi breui horæ spacio in eadem, & diurni denarij præmium recepturi. Quocirca Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus in Prouincia tua quatuor viros opinionis syncera, ac litteratura probata, vel tres, seu saltem duos cuiuscunque religionis vel Ordinis, in Cistercien. præsertim, cui Dominus benedixit à mari vsque ad mare ipsius extendendo palmites eligas, qui super nitentes asinos ascendentes, hobētesque vitam in patientia, & mortem in desiderio, sponte velint animas suas offerre discrimini, & bene dicere Domino parati pro ipsius nomine si opus fuerit Martyrium sustinere, ac ipsos vsque ad Festum Beati Martini ad præsentiam nostram transmittas, secundum circumspectionis Apostolicæ prouidentiam, vna cum illis quos de Prouincijs alijs ad nos mandamus transmitti, ad solitudinem diuersarum gentium destinandos, vt in eis fungentes legatione pro Christo reconciliari obsecrent illas Deo, quasi per ipsas Domino exhortante, & tanquam Ciues Apostolorum & domestici Dei, easdem verbo doctrinæ illuminent, pacem gentibus tribuendo, ac cum exultatione ad nos seu ad Dominum potius reuertentes iustitiæ manipulos referant, & ab eodem vitæ senatum recipiant sanguine proprio laureati. Quod si forsan Prælati eorum qui animas suas sponte periculo duxerint offerendas, voluntati eorum præsumpserint obuiare, præsumptiones eorum mo..pre..per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compescas. Datum Laterani octauo Calendas Aprilis anno quinto. Anno 1220

HONORIVS PAPA TERTIVS OLAO ARCHIEPISCOPO VPSALENS. ET SVFFRAganeis eius, & Abbatibus, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prælatis in Vpsalen. Prouincia constitutis.

SVSCEPTI curæ regiminis, quæ nos omnibus constituit debitores exposcit, vt qui officium Speculatoris assumpsimus, non solum ad prope positos, sed etiam ad longe positos nostræ sollici- Anno 1220.

tudinis ac'em extendamus, ac de agro Dominico studeamus extirpare plantaria vitiorũ, ne forte illis per nostram incuriam excrescentibus, nobis possit adaptari quod legitur. Per agrum hominis pigri transiui, & ecce vrtica repleuerunt eum, & operuerunt faciem eius spinæ. Quia vero humanæ conditionis natura non patitur, vt per nos ipsos cuncta nobis imminentia exequamur, exemplo eius qui cum vbique sit præsens spiritus Angelos suos facit, & in diuersa ministeria mittit illos, aliis ea exequenda committimus, quæ per nos ipsos exequi non valemus, maiora maioribus, prout ratio singulorum expostulat committentes. Vt igitur in persona eius quem ad vos destinare curauimus plenius agnoscatis quam & quantã de vobis sollicitudinem habeamus, ecce mittimus ad vos dilectum filium nostrum Gregorium de Crescentio Sancti Theodori Diaconum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum, virum vtique prudentia & honestate conspicuum, ac nobis inter cæteros fratres nostros suis meritis exigentibus specialiter carum cõmisso sibi plena legationis officio, & concessa sibi plenaria potestate vt euellat & destruat, ædificet atque plantet, prout quæq; secundum datam sibi à Deo prudentiam viderit facienda. Ideoq; vniuersitati vestræ per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus ipsum, imo verius nos in ipso recipientes hilariter & honorifice pertractantes, eidem tanquam personæ nostræ intendatis & obediatis humiliter & deuote, ac ipsius salubria monita & statuta irrefragabiliter obseruetis. Alioquin sententiam quam rationabiliter tulerit in rebelles præcipimus vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari. Datum Laterani II. Calen. Ianuar. anno quinto.

HONORIVS PAPA TERTIVS OLAO ARCHIEPISCOPO VPSALENS.

Anno 1220. FRATERNITATI *tuæ præsentium auctoritate præcipiendo mandamus, quatenus Vicesimam Ecclesiasticorum prouentuum, nec non & censum de Suecia Ecclesiæ Romanæ debitum colligens diligenter, tam ea quam alia nobis si commode poteris per fideles Nuncios studeas destinare Alioquin Venerabili Fratri nostro.. Lunden. Archiepiscopo fideliter assignare procures, quantitatem eorum nobis fideliter rescripturus. Datum Lateran. II. Cal. ad Febr. anno quinto.*

HONORIVS PAPA TERTIVS VNIVERSIS CHRISTI FIDELIBVS PER Regnum Sueciæ constitutis.

Anno 1220. CVM *ex censu in quo Sedi Apostolicæ tenemini annuatim appareat manifeste, vos esse Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ filios speciales, & ob hoc speciali eiusdem protectione ac patrocinio gaudeatis, miramur non modicum, quod sicut Venerabilis Frater noster.. Arosien Episcopus suis nobis litteris intimauit, censum ipsum tam à quinquennio & amplius, licet ab eodem Episcopo fueritis requisiti in animarum vestrarum periculum soluere neglexistis. Vt igitur diuinam & Beati Petri cui census debetur huiusmodi euitetis offensam, Vniuersitatem vestram monemus & hortamur in Domino in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus Deo & Apostolicæ Sedi satisfacientes congrue de subtracto, sic deinceps censum ipsum hilariter persoluatis, quod Dei, qui datorem hilarem diligit, gratiam consequi, & Apostolicæ sedis fauorem mereamini plenius obtinere. Alioquin sententiam, quam id m Episcopus propter hoc rationabiliter tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino inuiolabiliter obseruari. Datum Laterani tertio Nonas Ianuarij. Pontificatus nostri anno quinto.*

HONORIVS PAPA TERTIVS ILLVSTRI REGI SVETIÆ.

Anno 1222. IVSTVS *Dominus in omnibus vijs suis, qui vnicuique pro meritis condigna retributione respondet; circa negotium terræ sanctæ spem populi Christiani fouit aliquandiu prosperis, & interdum debilitauit aduersis. O quantum Christicolis videbatur arridere prosperitas, O quantum illuxisse credebatur fidelibus felicis aurora successuum, quando Crucesignatorum Exercitus Aegyptum*

gyptum aggrediens post turrim captam, post transitum fluminis, post hostes exterritos, in aduersariorum stationibus Castra fixit, & Damiatam, quæ robur censebatur Aegypti, duris obsidionis angustijs coarctauit. Res quidem agebatur miraculi, cum Dominus qui elegit infirma mundi, vt confunderet fortia, Ciuitatem expugnationi difficilem, eo tempore tradidit gerentibus bellum eius, quo inualuerat multum partis aduersæ potentia, & abbreuiatus erat non modicum nostrorum numerus bellatorum. Habebat autem in his Vniuersitas Christiana vnde protenderet quasi certa spei fiduciam in futurum. Verum succedentibus prosperis, victores obliti nomen Domini post triumphum dato virtutibus libello repudij, sic cōtraxere cum vitijs quod detrahebant fidei, vbi conuertendi fuerant Infideles, & maior erat peccatorum commissio, vbi maior remissio sperabatur. Quapropter prouocatus Dominus, dexteram in sinistram & gratiam mutauit in iram, citharam nobis vertit in luctum, & gaudium transtulit in mærorem, cum nostris in manu hostili conclusis, & perdita Damiata, breui dierū numero sic exin initi sunt temporis longi labores, quod non solum blasphemorum iniurijs nomen est expositum Christianum, verum etiam quoad aliquos, qui aliquando communicauerant fidei, contemptui datus est ipse Christus. Vnde facta est durior post prosperitatem aduersitas, & eo minus habuit consolationis afflictio, quo minus argumenta prosperitatis præterita subsecuta iactura pati poterant coniecturam: Sed licet iniquitates nostræ quandoque diuiserint inter nos & Deum nostrum, non est tamen aggrauata eius auris, vt non exaudiat, nec abbreuiata manus eius, vt saluare non possit. Misericordiam quippe non continebit in ira, quin saltem propter nomen suum, ne vlterius blasphemetur in gentibus, potenter exurgens, iudicet causam suam, & exaltans humilem in salutem, iniquos abigat, & cōsternat elatos. Ecce ipsius inspiratione, vt firmiter credimus, Charissimus in Christo filius noster Fridericus illustris Romanorum Imperator semper Augustus & Rex Siciliæ, omissis multis arduisque negotijs, quorum onus honorem Imperialis Celsitudinis sequebatur, venit ad nos in Campaniam nobiscum de prædictæ Terræ subsidio tractaturus, ibique præsentibus Venerabili Fratre nostro.. Patriarcha, & Charissimo in Christo filio nostro Ioanne Illustre Rege Hierosolimitano.. Bethlemitano Episcopo.. Magistro Hospitalis.. Præceptore Templi, &.. Magistro Domus Theutonicorum, ac alijs quos ad tractatus huiusmodi diuersis mundi partibus vidimus adhibendos, singulis quæ natura negotij requirebat, diligenti meditatione pensatis, idem Imperator ad nostrum beneplacitum & consilium prædictorum transfretandi terminum in Festo Beati Ioannis Baptistæ post biennium proximo secuturo, prompta volūtate suscepit, corporale super hoc exhibens spontaneus Iuramentum. Deniq; vt ad id plenius suum manifestaret affectum, & plus fidei daretur negotio, ac omnino suspicionis contrariæ scrupulus tolleretur, ad instantiā Patriarchæ prædicti & aliorum Orientalium in nostra & fratrum nostrorum præsentia, & multitudinis hominum qui ad colloquium venerant se ducturum in vxorem legitimam filiam Regis eiusdem, iurisiurandi religione firmauit. Sanè probabili præsumptione tenemus, quod à Domino factum est istud, vt votis fidelium optatæ rei successus exoluat, quod præconceptæ spei præludia promiserunt ad sui restaurationem negotij tuum & aliorum Regum ac Principum animos ipse filius summi Regis accendet, qui de secreto Patris in publicum egressus ad seruos ad ima descendit; vt subditis ad summa pararet ascensum, sub testa nostræ mortalitatis figulus in terris visus, & cum hominibus conuersatus, tuū proculdubio expetit & expectat auxilium, causa Christi & probatam Domus tuæ potentiam desiderat Terra Sancta. Nunquid non habuit de iuuentutis tuæ primitijs, & de maioris ætatis reliquijs quasi de vita decima non habebit? O quantū accresceret eiusdem terræ subsidio, si de propagata deuotione patris in filios per vnum ex ipsis subuenires in tanta necessitatis articulo Crucifixo? O quā magnifice ad succursum deuota Suecia se pararet vt mittendo placeret & misso! Absit vt post terga remaneat quæ præcedere consueuit. Absit vt tam salutari Christi seruitio gens tam Christiana se subtrahat. Absit vt quæ pro Domino hactenus onera multa sustinuit, in peculiari bello Dei filii soluat militiæ cingulum, arma relinquat rubigini, animum neget victoriæ, cum corona non desit victoribus per gratiam & meritum in præsenti, per gloriam & præmium in futuro. Hinc est quod Excellentiam tuam affectuosè rogamus Serenissime Regum, & à te instanter exposcimus Christianissime Principum, obsecrantes per Patrem & Filium & Spiritum

Sanctum, per sanguinem Iesu Christi, vt exurgas in adiutorium Christi tui, qui quodammodo in se prodigus & parcus in seruis, temporali morti se tradidit, vt te à faucibus mortis eriperet sempiternæ. Exurgas & liberes terram Sanctam, illam in qua salutem humani generis operatus est personaliter ipse Saluator; Exurgas ad contritionem nationis praua atque peruersa, qua vbi sit Deus Christianorum improperat, & multis insultat opprobrijs nomini Christiano. Et quidem illatas subditis tuis offensas vlcisceris, & Dei tui non vindicabis iniurias tam atroces? Ad hæreditates tuorum manus innaforum extendi non pateris, & patieris hæreditatis Dominicæ tanto tempore detentores. Ne igitur in Deo periculose dissimules quod iuste non tolerares in homine, pungat cor tuum tui contumelia Creatoris: accendat te zelus fidei Christianæ, vt sic in forti manu & extento brachio terra memorata subuenias, quod insinuato nobis subuentionis tuæ proposito ante faciem aliorum te fructuose ponamus exemplar, in tuis laudibus gloriantes, tibique accrescat cumulus meritorum non solum ex ijs quæ feceris per teipsum, sed ex alijs etiam quæ facti tui similitudine subsequantur. Datum Lateran. III. Idus April. Pontific. nostri anno 7.

HONORIVS PAPA TERTIVS EPISCOPO SCAREN. ET.. ELECTO LVNDEN.

Anno 1223. INTELLEXIMVS *quod Vpsalen. Ecclesia dudum viduata pastore Clerus & Populus Vbsalen. prædicta Ecclesia Capitulum non habente sibi Venerabilem Fratrem nostrum.. Stragen. Episcopum in executione Pontificalis officij vt dicitur approbatum, cui de vita & moribus laudabile testimonium perhibetur, in Archiepiscopum vnanimiter & concorditer postularunt. Supplicantib. ergo nobis Charissimo in Christo filio nostro.. Illustri Rege Sueciæ, & vniuersis eiusdem Ecclesia Suffraganeis, ac Clero etiam Vbsalen. vt cum Vbsalen. Metropolis propter indomitos cōsistentis in ea gentis induritiam talis sollicitudine pastoris indigeat, qui vinum infundendo & oleum mederi nouerit sauciatis, ad quod satis idoneum prædictum Episcopum asseuerans, postulationi huiusmodi assensum beneuolū ex causa tā necessaria præberemus. Nos igitur iuris super hoc rigorem prouidentia temperantes, discretioni vestra per Apostolica scripta mandamus, quatenus si vobis constiterit de præmissis, eūdem Episcopum præficiatis auctoritate nostra Vbsalen. Ecclesia in Pastorem, absoluentes ipsum à vinculo, quo Strangen tenebatur Ecclesiæ, ac transeundi ad prædictam Ecclesiam Vpsalen. tribuatis. Datum Lateran. quarto Idus Februarij, anno octauo.*

ERICO ILLVSTRI REGI SVECIÆ.

Anno 1225. TVÆ *Sublimitatis deuotio promeretur, vt ad tuam & Regni tui tranquillitatem & pacem paterna sollicitudinis studio intendamus. Hinc est quod personam tuam cum Regno, & omnibus tuis honorib. ac iustitijs sub Beati Petri & nostra protectione suscepimus, & præsentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes, ne quis honores tuos ac iura præsumat inuadere, aut quomodolibet temere perturbare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Reate secundo Idus Augusti Anno Decimo.*

DVCI ET MAGNATIBVS SVETIÆ.

Anno 1225. AD *audientiam nostram Venerabile fratre nostro.. Vpsalen. Archiepiscopo insinuante peruenit, quod vos personas Ecclesiasticas ad iudicium sæculare protrahitis, & auctoritate propria bona occupantes ipsorum, ac eos exactionibus indebitis opprimentes, his & aliis modis eos adeo aggrauatis, vt quodammodo deterioris conditionis existant, quam Idolorum Ministri sub Pharaone fuerunt in Aegypto. Ille enim aliis seruituti subactis Sacerdotes idolorum in libertate seruauit; vos vero non distinguentes inter prophanum & sacrum Dei viui & veri ministros nitimini*

timini contra diuinas & humanas sanctiones subijcere seruituti. Et licet alias super his vobis direxerimus scripta nostra, ab huiusmodi tamen molestiis hactenus quiescere non curastis. Ideoque Nobilitatem rogamus districtius & hortamur, per Apostolica vobis scripta precipiendo mandātes, quatenus pro reuerētia diuina & nostra quiescatis à præfatis iniuriis, & Ecclesias ac personas Ecclesiasticas gaudere libertate debita permittatis. Alioquin sententiam quam idem Archiepiscopus rationabiliter tulerit irremissibiliter ratam habebimus, & faciemus auctore Domino firmiter obseruari. Datum Reate Idibus Augusti anno decimo.

GREGORIVS NONVS ILLVSTRI REGI SVETIÆ.

REGI *Regum Reges terræ gratissimum exhibent famulatum, qui compatiuntur & dolent cum persecutionem patitur sponsa Christi, & tempore persecutionis euidenter ostendūt, quod nullus Deo, sed Deus est omnibus præferendus. Sane si dictus imperator Deo & hominibus gratis ingratus Apostolicæ sedi malum pro bono, pro honore iniuriam, ac odium pro dilectione inique retribuens, non contentus quod negotium Terræ Sanctæ studiosa malignitate peruertit, nunc inhianter aspirat ad conculcandum vniuersalem Ecclesiam modis omnibus quibus potest, & libertatem Ecclesiasticam subuertendam, totum sibi quasi reputans deperire, quicquid libertatis vel honoris obtinet sponsa Christi; & nequiter cogitans, quod si Romanam Ecclesiam posset opprimere, Reges alios & Regna sit ei facillimum expugnare. Processit ad Patrimonium Beati Petri hostiliter occupandum, vbi per Raynaldum natum quondam Ducis Spoletani suum vicarium & ministrum quasdam Terras Apostolicæ sedis, corruptis earum habitatoribus, fecit inuadi, Presbyteris & alijs Clericis à Sarracenis impie mutilatis. Vnde nos videntes & dolentes, quod ipsius Friderici iniqua superbia semper ascendens non sistitur, donec eam Iustitia superueniat & conuincat, illius malitiæ cum auxilio diuino prouidimus Apostolicæ sedis dexteram opponendam tribus ad hoc exercitibus congregatis. Verum quia hæc non possunt sine grauibus sumptibus fieri, ad quas Apostolicæ sedis nequaquam sufficiunt facultates, tuæ subuentionis auxilium, tanquam specialis Ecclesiæ Romanæ filij, super his duximus fiducialiter requirendum, Serenitatem Regiam affectuose rogantes, & monentes attente; quatenus ea quæ super his dilectus filius Magister Simon Scriptor noster, de cuius prouidentia & sinceritate fide plene confidimus, tibi ex parte nostra proponet, credens tanquam ab ore nostro prolata, taliter eadem studeas adimplere, quod ex hoc tibi merito reddas Romanam Ecclesiam obligatam, & nos grata tibi debeamus vicissitudine respondere. Datum Perusij XII. Calen. Ianu. Pontif. nostri anno II.* Anno 1228.

GREGORIVS PAPA NONVS VV. EPISCOPO QVONDAM MVTINEN. PÆNITENTIARIO nostro Apostolicæ Sedis Legato.

EX *parte Carini in Christo filij nostri .. Daciæ Regis Illustris fuit propositum corā nobis, quod cum fel. rec. Innocentius & Honorius Romani Pontifices Prædecessores nostri sibi duxerint concedendum, vt Terram, quam suis vel suorum laboribus & expensis eriperet de manibus Paganorum Regno suo & eius Ecclesiis applicare, idem personaliter cum exercitu & magnis laboribus ac expensis in Estoniam proficiscens, ad fidem Christi multos cum auxilio eius traxit ibidem occupando & firmando inter alia quoddam Castrum quod Reualia nominatur. Sed eo postmodū captiuato fratres Militiæ Christi in Liuonia mandante Magistro Io. Capellano tuo Castrum obsidere præfatum, & sic Custodes ab ipso Rege inibi deputati, illud Mag. & Fratribus d. Ecclesiæ recipientibus Ecclesiæ Romanæ nomine reddiderunt. Quare petebat vt Castrum ipsum cum pertinentiis suis & fructibus perceptis ex eis sibi restitui faceremus. Quia vero prædicto Regi tanquā Catholico Principi & Ecclesiæ Romanæ deuoto, nolumus in suo iure deesse, qui sumus omnib. in iustitia debitores, cum constet nobis tam per confessionem Procuratoris earundē Fratrum, quam alias d. Castrum per eundem Regem in terra inimicorum fore fundatum, mandamus quatenus* Anno 1236.

ipsum ad manus tuas nomine nostro recipiens, postquam illius possessionem habueris corporalem, dicto Regi Castrum cum pertinentiis suis restituas supradictum: prouiso nihilominus vt inter præfatum Regem ex vna parte, & supradictos Fratres, & alios qui Castrum detinent memoratum ex altera, firma pax & amicabilis compositio intercedat, pactionibus renunciationibus & cautionibus idoneis interiectis, quod pro damnis & iniurijs hinc inde illatis, necnon occasione prouentuum de terris ipsis ipsum Regem contingentibus perceptorum à Fratribus supradictis, vel expensarum quas in eodem Castro iidem fratres asserunt se fecisse, nullatenus de cætero alterutrum se molestent, & super iis omnibus adinuicem se absoluant. Contradictore, &c. Datum Viterbii quarto Idus April. Anno X.

GREGORIVS PAPA NONVS VPSALEN. ARCHIEPISCOPO ET SVFFRAganeis eius.

Anno 1237. PLANTAVIT *vineam dextera Domini, eamq; sanguine filii sui voluit irrigari, vt ex fluente de Christi latere riuulo fœcundata vinum produceret, cuius refectus dulcedine plantator altissimus exultaret. Sed proh dolor, ecce ab apro de sylua exterminium patitur. Ecce singularis ferus eandem suis pastibus demolitur. Nam sicut transmissæ ad nos literæ vestræ continebant, illorum qui Tauesti dicuntur natio, quæ olim multo labore ac studio vestro & Prædecessorum vestrorum ad fidem Catholicam conuersa extitit, nunc procurantibus inimicis Crucis prope positis, ad antiqui erroris reuersa perfidiam, cum quibusdam barbaris nouellam Ecclesiæ Dei Plantationem de Tauestia funditus Diabolo coadiuuante subuertunt, paruulos quibus in baptismo Christi lumen illuxit, violenter de hac luce subtractos interimunt, quosdam adultos extractis ab eis primo visceribus dæmonibus immolant, & alios vsque ad amissionem spiritus arborem circuire compellunt. Sacerdotes vero quosdam exoculant, & quibusdam eorum manibus & cæteris membris crudeliter mutilatis, reliquos in combustionem & cibum ignis palleis inuolutos exponunt. Sicq; ipsorum Paganorum seruitijs Regnum Sueciorum opprimitur, quod de facili extremam fidei desolationem incurret, nisi tibi Dei & Apostolicæ Sedis auxilio succurratur. Verum cum tanto libentius contra huiusmodi Apostatas & barbaros impugnandos sit à viris Deū timentibus assurgendum, quanto maioribus Ecclesiam Dei damnis affligere cupiunt, qui fidem Catholicam tam detestabili crudelitate confundunt, mandamus quatenus viros Catholicos in Regno prædicto & vicinis Insulis positos, vt contra eosdem Apostatas & barbaros Crucis signaculum assumentes ipsos viriliter & potenter expugnent, præceptis salutaribus inducatis. Nos enim attēdentes quod Deo tanto gratior est defensio fidei, quanto cæteris virtutibus animæ fides debet pretiosior reputari de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, illam ob id assumentibus signum Crucis concedimus veniam peccatorum, & ipsos ea volumus immunitate gaudere, quam habituri essent si in terram Sanctam personaliter se transferrent. Datum Laterani quinto Idus Decembris Anno vndecimo.*

GREGORIVS PAPA IX. LVNDEN. ET VPSALEN. ARCHIEPISCOPIS.

Anno 1237. PRÆSENTATÆ *nobis literæ Venerabilis Fratris nostri.. Scaren. Episcopi continebant, quod cum idem Episcopus laborib. & ætate confractus in senium iam decliuet, tanta corporis & animi infirmitate grauatur, quod impotens penitus est effectus ad exequendū officium Pastorale. Quare nobis humiliter supplicauit, vt ipsum ab onere sollicitudinis Pastoralis absoluere curaremus, facientes ei, ne in opprobrium Episcopalis dignitatis mendicare cogatur, de bonis Episcopalibus, vnde congrue sustentari valeat prouideri. Quocirca mandamus quod si est ita, cessionem ipsius recipiatis vice nostra, & de redditibus Episcopalibus auctoritate Apostolica prouideatis eidem, vnde competenter valeat sustentari, ea temperantiæ æquitate seruata, vt sibi competens vitæ conferatis subsidium, & tribulationem Scaren. Ecclesiæ minime instigatis. Datum Laterani XVIII. Calendas Februarij Anno vndecimo.*

INNO-

INNOCENTIVS PAPA IV.

PRIORI AC FRATRIBVS ORDINIS PRÆDICATORVM DE WISBII LINgacopen. Dioc. per Gothlandiam.

Anno 1243.

QVI *iustis causis hominum promouendis promptum fauorem impendimus, tanto libentius vigilanti cura prosequi pia debemus negotia Iesu Christi quanto Deus homini præferendus esse dignoscitur, & omnis sibi deberi reuerentia comprobatur. Igitur cum sicut relatu fidedignorum percepimus exultantes, conditor omnium in Liuonia ac Prussiæ partibus, dilectorum filiorũ Fratrum Hospitalium Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hyerosolimitan. ac aliorũ fidelium triumphanti dextera faciente sit multipliciter exaltatus, & spes sit quod ibidem magis ac magis sui nominis gloria protendatur, si plantationi suæ partium earundem fauorem quem in ipso posuimus impendentes opportunum illi per deuotos Ecclesiæ subsidium procuremus, deuotionem Tuam rogamus & hortamur in Domino per Apostolica tibi scripta mandantes, ac in remissionem peccatorum iniungentes, quatenus in VVisbulingacopen. Dioc. & per Gothlandiam assumpto sanctæ prædicationis officio propter Deum fideles constitutos in illis ad nimiam charitatẽ, qua Christus nos dilexit & diligit respectum habere, & ei retribuere aliquid pro omnibus quæ tribuit ipse illis pijs exhortationibus, secundum datam tibi à Deo prudentiam, studeas informare diligenter & sollicite, petituri, vt ipsi redempti pretio glorioso, in quos tãquam viros Christianos & Catholicos eadem opprobria exprobrantium Christo debent se viriliter & potenter accingant, tanquam Zelum Dei habentes ad ampliandam gloriam Crucifixi, & liberãdum proximos de manibus paganorum, profecturi & acturi secundum fratrum consilia Prædicatorum, ita quod & ipsis præmium debeatur æternum, & infideles non possint, quod impune Christi nomen impugnauerint gloriari. Illos vero de Prouincijs & Diocesibus memoratis, qui Crucis signaculo in Liuoniæ seu Prussiæ subsidium insigniti propter paupertatem seu debilitatem illuc nequeunt personaliter proficisci, à voto crucis absoluant, dummodo de bonis suis iuxta proprias facultates congruam subuentionem exhibeant, per manus eorundem fratrum in idem subsidiũ conuertendam. Nos enim vt quod pro nomine Redemptoris tam digne deposcitur, effectu facili compleatur, omnes dictarum Prouinciarum & Diocesum in succursum eorundẽ fidelium suscepto propter hoc crucis signaculo pr. cessuros, nec non eorum familiã & bona omnia, donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur, sub protectione ac defensione sedis Apostolicæ, admittentes illis ac aliis, qui iuxta facultatem & qualitatem suam illuc bellatores idoneos in expensis proprijs duxerint destinandos, nec non qui ad subuentionem dictarum Liuoniæ vel Prussiæ de bonis proprijs congrue ministrarint, vel qui in alienis expensis illuc accesserint, ibidem ad minus ad vnius anni spatium seruituri, iuxta quantitatem subsidij, & deuotionis affectum illam indulgentiam idemq; Priuilegium elargimur, quæ transeuntibus & subuenientibus in Terræ sanctæ subsidium cõceduntur. Præterea vt præfatum negotium quo pluribus contingit iuuari remedijs prosperitatis optatæ suscipiat incremẽtum, præsentium vobis auctoritate concedimus, quod illis earundem Ciuitatum & Diocesum, qui ad solemnem prædicationem accesserint, XX. dies de iniunctæ pænitẽtia relaxare, ac eorum singulis illuc sumpto propter hoc Crucis caractere processeris, qui pro incendijs & iniectione manuum in Clericos vel alias religiosas personas excommunicationis laqueum incurrerunt, absolutionis beneficium iuxta formam Ecclesiæ valeant impertiri. Prouiso vt passis damna & iniurias satisfaciant competenter, illis duntaxat exceptis, quorum excessus adeo sunt difficiles & enormes, quod merito sint ad sedem Apostolicam destinandi. Datum Anagniæ IX. Cal. Octobris anno primo.*

INNOCENTIVS PAPA IV. EPISCOPO BERGENS. ET NIDROSIEN. ET ALFOSIEN. FRATRVM Prædicatorum Prioribus.

Anno 1250.

SICVT *suis nobis literis Venerabilis frater noster Archiepiscopus Nidrosien. exposuit, recol. mem. Augustinum Nidrosien. Archiepiscopum cum pie vixisset in hoc seculo viam salutis*

docendo

docendo verbis pariter & exẽplis, tandem præsentis vitæ cursu fideliter consummato multis miraculis Omnipotens decorauit. Vnde cum non deceret eum apud homines sine veneratione relinqui, quem merita & miracula sanctum ostendunt, fuit nobis humiliter supplicatum, vt ipsorum Sanctorum Catalogo ascribere curaremus. Sed quia nobis plene de præmissis constare non poterat nos olim Abbati Tautren, & .. Tautren. Cistercien. ac .. Holmen. Sancti Benedicti Ordinum Prioribus Nidrosien. Dioc. dedisse dicimur nostris litteris in mandatis, vt de vita ipsius & miraculis diligenter & sollicite inquirentes, quæ inuenirent, nobis per suas litteras intimarent. Cũ autem dicto Abbate interim viam vniuersæ carnis ingresso per memoratos Priores, vt pote ad hoc minus idoneos nullatenus super inquisitione huiusmodi, sicut accepimus, processus potuerunt haberi; Nos de vestra circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus, quatenus si super hoc adeo publica fama in partibus illis inualuit, quod nobis de ipsius vita & miraculis videatur merito super præmissis inquirere, secundum interrogatoria quæ vobis super bulla nostra mittimus, ac nobis rescribere studeatis, iuxta decretarum addictos Abbatem & Priorem continentiam litterarum. Alioquin in negotio inquisitionis huiusmodi nullatenus procedatis. Quod si non omnes &c. tu Frater Archiepiscope &c. Dat. Lugduni Nonis Ianuarij Anno octauo.

INNOCENTIVS PAPA IV. ARCHIEPISCOPO VPSALENS. EIVSQVE SVFFRAGANEIS, & dilectis filiis toti Clero Regni Sueciæ.

Anno 1250. *CVM à nobis petitur &c. vsque affectum. Lecta siquidẽ nobis ex parte vniuersitatis Vestræ petitio continebat, quod cum dudum in Regno Sueciæ quædam consuetudo, quæ corruptela dicenda est verius, inoleat, videlicet vt Cathedralibus Ecclesiis Regni non præficerentur aliqui, nisi quos in eis institui vel destitui potius per potestatis sæcularis potentiam, Regis scilicet & Baronum, necnon & ad clamorem tumultuantis populi Regni prædicti, contra sacrorum statuta Canonum contingebant, venerabilis frater noster Sabinen. Episcopus, tunc in partibus illis Apostolicæ Sedis Legatus, tam detestandæ præsumptionis abusum diligenter attendens, ac volens super hoc salubre remedium adhibere, prouida deliberatione statuit, vt in singulis Ecclesiarum ipsarũ, in quibus adhuc Capitula nulla erant, vnus Prælatus idoneus, & ad minus quinque Canonici habeantur, per quos eisdem Ecclesiis, pro tempore vacaturis, possit de futuro Episcopo per electionem Canonicam prouideri. Nos igitur vestris deuotis supplicationibus inclinati statutum huiusmodi prouide factum, auctoritate Apostolica confirmantes præsentium tenore statuimus, ne quis de cætero in aliqua Ecclesiarum ipsarum in Archiepiscopum vel Episcopum per abusum huiusmodi præfici debeat. Sed ille præficiatur, quem eiusdem Ecclesiæ Capitulum, vel eorum maior & sanior pars forma seruata Canonica sibi duxerit eligendum, nec quisquam ad iura redditus, & bona ad mensam Episcopalem seu Archiepiscopalem spectantia, vel bona quæ apud vos vel quemcunque Successorum vestrorum tempore sui obitus reperiri contigerit, occupare vel inuadere, seu contra dispositionem ipsorum præsumptione damnabili aliquatenus detinere præsumat, quæ per Capitulum Ecclesiæ, vel alium ad hoc deputatum ab ipsis ad opus futuri Episcopi fideliter conseruentur districtius inhibentes, ne aliqua sæcularis persona contra Statuta huiusmodi quicquam attentare, aut à vobis vel successoribus vestris homagij vel fidelitatis exigere, seu oblatum recipere audeat iuramentum, maxime cum sicut asseritis pro aliquarum receptione regalium seu feudorum obtentu, eisdem Regi & Baronibus, seu aliis personis sæcularibus obnoxii nullatenus existatis. Nulli ergo, &c. nostræ confirmationis & constitutionis, &c. Datum Lugduni VIII. Idus Decembris, Anno VIII.*

Datus est eis super hoc Conseruator. Archiepiscopus Lunden.

INNOCENTIVS PAPA QVARTVS, EPISCOPO SCARENSI.

Anno 1253. *DILECTVS filius Theodorus Canonicus Ecclesiæ Hamarens. quod licet ipse à Capitulo eiusdem Ecclesiæ fuisset in Hamaren. Episcopum postulatus, quia tamen per nos est de alio in Pastorem*

Pastorem Ecclesiæ præfatæ prouisum, idem Canonicus de sua electione graues labores & expensas non immodicas subiit de Norvvegia ad Sedem Apostolicam veniendo. Cum itaque sicut accepimus Ecclesia Beati Michaelis de Noko Hamaren. Dioc. tanto tempore iam vacauerit, quod ipsius collatio est ad nos per lapsum temporis deuoluta. Nos dictum Canonicum affectu beneuolo confouentes, mandamus, quatenus si quod de vacatione ipsius Ecclesiæ proponitur, veritate fulcitur, eam præfato Canonico per te vel per alium auctoritate nostra conferas & assignes. Non obstante quod idem alias be.. exi... sine aliqua indulgentia quibuscunque personis locis vel dignitatibus de partibus illis ab Apostolica Sede concessa, quod suspendi vel interdici aut excommunicari, seu ad prouisionem alicuius compelli non possint, nisi de indulgentia ipsa plene & expresse seu de verbo ad verbum in nostris literis mentio habeatur. Contra, &c. Datum Laterani III. Idus Februarij Anno XI.

INNOCENTIVS PAPA QVARTVS, EPISCOPO LINCOPENSI.

CARISSIMI *in Christo filii nostri VValdemari Regis illustris, ac dilecti filij Nobilis viri Benedicti Ducis Regni Sueciæ, ac Regni eiusdem recta fides in Deum & sincera deuotio in Ecclesiam sanctam eius, erga illos in nobis mouet intima charitatis affectum, qui quod ad ipsorum salutem & pacem profuturum creditur, nobis suggeret non negandum. Ex parte siquidem prædictorum Regis & Ducis fuit nobis humiliter supplicatum, vt cum Nobilis Vir Carolus natus quondam Sifirugi nepos vtriusque Nobilem mulierem Helenam natam quondam Petri de Iorchastat, quæ dictum Carolum quarto gradu consanguinitatis contingit ducere cupiat in vxorem, & per coniunctionem huius multa bona eidem Regno prouentre dicantur curaremus in hac parte misericorditer dispensare. Nos igitur attendentes, quod sicut à fide dignis accepimus, ipsius Regni per hoc pax & tranquillitas procuratur, dictorum Regis & Ducis precibus inclinati, præsentium tibi auctoritate committimus, vt cum ipsis Carolo & Helena quod non obstante impedimento consanguinitatis huiusmodi se ad inuicem matrimonialiter copulare valeant, auctoritate nostra dispenentes. Datum Perusii XI. Calendas Nouembris, Anno decimo.* Anno 1252.

ALEXANDER PAPA IV. IERLERO ARCHIEPISCOPO VPSALEN.

TVA *nobis fraternitas intimauit, quod bonæ memoriæ VVilhelmus Episcopus Sabinen. tunc in partibus Sueciæ Legatus Sedis Apostolicæ statuit, vt quicunq; Sacerdos vel Clericus concubinam haberet, publice vel occulte sententiam excommunicationis incurreret ipso facto. Vnde cum nonnullos sententia ipsa inuoluerit & inuoluat, prouideri super hoc à nobis eorum saluti humiliter postulasti. Verum quia sæpe quod prouidetur ad bonum antiqui hostis inuidia procurante tendit ad noxam & statutum huiusmodi, quod pro animarum curanda salute fuerat editum, tu propter irregularitates, quas Clerici sententia prædicta legati multoties contrahunt, tam propter contagiosa pœna contagiũ, quæ excommunicati sibi cõmunicantes excõmunicationis labe inficiũt animab. ipsis laqueos mortis æternæ parat, & quam plures sæpissime laqueo ligãtur vnius. Nos attendentes quod varietate personarũ & regionũ pœnæ sunt prouide variandæ, tuis supplicationibus inclinati Fraternitati Tuæ præsentium auctoritate concedimus, vt præfatum Statutũ in tua Ciuitate ac Diocesi & Prouincia reuocans ac relaxans dict. sententiam iuxta formam Ecclesiæ si absolui per te ab ea Presbyteri & Clerici earundẽ Ciuitatis, Diocesis & Prouinciæ cum humilitate petierint, sententiam ipsam in pœnã aliam, quam personarum, locorum, & temporum circumstantiis, prouida circumspectione pensatis earundem animarum saluti magis expedire videres, possis libere commutare ac dispensare cum illis super irregularitate, quam sic ligati suscipiendo ordines vel celebrando diuina officia seu immiscendo se illis, non tamen in contemptum clauium contraxerunt, iniuncta eis pro modo culpæ competenti pœnitentia, prout animarum suarum saluti videris expedire. Prouiso quod iidem concubinarii concubinis ipsis à se prorsus abiectis cautionem exhibeant de illis vel aliis minime resumendis. Datum Viterbii 7. Cal. Septembr. anno quarto.* Anno 1257.

ALEXAN-

ALEXANDER PAPA IV.
IERLERO ARCHIEPISCOPO VPSALENS. LINCOPENS. ET Wibergenſ. Epiſcopis.

Anno 1258. *EX parte chariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum VValdemari Sueciæ ac Chriſtophori Daciæ Regum illuſtrium fuit nobis humiliter ſupplicatum, vt eidem Regi Suetiæ, ac nobili mulieri Sophiæ nepti eiuſdem Regni Datiæ contrahendi matrimonium ad inuicem & conſummandi contractum, ac in eo licite remanendi, non obſtante quod ijdem tertia conſanguinitatis linea ſunt coniuncti, licentiam de benignitate ſedis Apoſtolicæ largiremur. Licet igitur coniugalis contractum copulæ inter tales fieri canones interdicant: quia tamen certa ratio propter quam ſedis eiuſdem clementia poteſt honeſte ad prædictam inclinari gratiam fuit propoſita coram nobis, præſertim quia cum Pagani Regnum Sueciæ cui vicini exiſtunt inceſſanter impugnent, villas & Eccleſias eiuſdem Regni deſtruendo & cremando ignis incendio, ac ipſis incolas crudeliter perimendo, per confœderationem ipſorum Regum atque Regnorum ſuorum per huiuſmodi matrimonium faciendam, eorundem Paganorum inſultibus melius & ſalubrius poterit obuiari. Nos eiſdem Regibus omnem quam cum Deo poſuimus gratiam facere ſuadentibus eorum meritis intendentes, Fraternitati veſtræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi præmiſſa ratione, ac aliarum neceſſitatum vtilibus cauſis diligentius inquiſitis, & attente perſpectis veſtra circumſpectio viderit expedire, eiſdem auctoritate noſtra petitam concedatis licentiam, cum ipſis inſuper impedimento conſanguinitatis huiuſmodi diſpenſando. Datum Anagniæ Calendis Martij Anno quinto.*

ALEXANDER PAPA QVARTVS STREGINEN. EPISCOPO, ET DILECTO FILIO Abbati Alwaſtriæ Lincopen. Dioc. & Præpoſito Eccleſiæ Lincopen.

Anno 1255. *VSQVE in ſenectam & ſenium in officio Paſtoralis curæ perductus Venerabilis Frater noſter Archiepiſcopus Vpſalen. nobis per ſuas literas cum inſtantia ſupplicauit, vt cum confractus ſenio & paralytico morbo laborans nequeat paſtorale officium, vt expedit adimplere, ac per hoc oneri Pontificalis officii cedere ſit paratus, ceſſionem ipſius recipere curaremus. De veſtra igitur circumſpectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus, quatenus conſideratis diligenter circumſtantiis vniuerſis ſi Eccleſiæ Vpſalen. videritis expedire, ceſſionem recipientes huiuſmodi vice noſtra præfato Archiepiſcopo de bonis Archiepiſcopalibus pro ſuſtentatione ſua ſtudeatis prouiſionem honeſtam & condignam aſſignare, ac faciatis eum pacifica ipſius poſſeſſione gaudere. Contradictor &c. Quod ſi non omnes, &c. Datum Laterani XI. Calendas Ianuarij, Anno ſecundo.*

ALEXANDER PAPA QVARTVS ARCHIEPISCOPO VPSALENS. LINCOPEN. & Scaren. Epiſcopis.

Anno 1255. *EX parte dilecti Filii nobilis viri Ducis Suvvenorum fuit propoſitum coram nobis, quod ipſe Regni Suvvenorum quod ad ipſum nouiter legitime deuolutum extitit, ac incolatum eius pacificum ſtatum cupiens & tranquillum intendit certas in Regno ipſo aſſignare ſuis filiis portiones, nolens per hoc fidelium ſtragem & animarum pericula, quæ ſi hoc non fieret, poſt ipſius obitum accidere poſſent, ſalubriter euitare. Nos igitur eiuſdem Ducis vota ſalubria fauore beneuolo proſequi de-*

qui delectantes, monemus quatenus quod idem Dux super hoc de prudentum consilio legittime fecerit, auctoritate nostra faciatis sicut iustum fuerit inuiolabiliter obseruari. Contradic, &c. Quod si no &c. Datum Latera. III. Calend. Ianu. anno 2.

ALEXANDER PAPA QVARTVS ARCHIEPISCOPO VPSALENSI & Suffraganeis eius.

VESTRA *nobis Fraternitas intimauit, quod bona memoria Guillelmus Episcopus Sabinen. tunc in partibus Suecia Legatus sedis Apostolica statuit, vt quicunq; Sacerdos vel Clericus concubinam haberet vel cohabitantem publice vel occulte, tam ipsa concubina quam ipse sententiam excommunicationis incurrerent ipso facto. Vnde cum nonnullos Presbyteros & Clericos propter eandem participationem sententia ipsa inuoluerit & inuoluat, prouideri super hoc à nobis eorum saluti humiliter postulastis. Verum quia sæpe quod prouidetur ad bonum antiqui hostis inuidia procurante tendit ad noxam, & Statutum huiusmodi, quod pro animarum procuranda salute fuerat editum, tum propter irregularitates quas Clerici sententia prædicta Legati multoties contrahunt, tum propter contagiosa pœna contagium, qua excommunicati sibi communicantes excommunicationis labe inficiunt, animabus ipsis laqueos mortis aterna parant, & quā plures sapissime laqueo ligantur vnius. Nos attendentes quod pro varietate personarum & regionum pœnæ sunt prouide variandæ, vestris supplicationibus inclinati Fraternitati Vestra præsentium auctoritate concedimus, vt præfatum Statutum in vestris Ciuitatibus & Diœcesibus reuocantes ac relaxantes dictam sententiam, iuxta formam Ecclesia, si absolui per vos ab ea Presbyteri & Clerici earundem Ciuitatum & Diœcesum cum humilitate petierint, sententiam ipsam in pœnam aliam, quam personarum, locorum, & temporum circumstantiis prouida circumspectione pensatis, earundem animarum saluti magis expedire videretis, possitis libere commutare, ac dispensare cum illis super irregularitate, quam sic ligati suscipiendo ordines, vel celebrando diuina officia seu immiscendo se illis, non tamen in contemptum clauium contraxerunt, iniuncta eis pro modo culpa competenti pœnitentia, prout animarum suarum saluti videritis expedire. Prouiso quod iidem concubinarii, concubinis ipsis à se prorsus abiectis cautionem exhibeant de illis vel aliis minime resumendis, & quod pœna eadem ad quæstum pecunia seu aliud turpe lucrum, de quo Clerus scandalizari valeat, minime se extendat. Datum Anagnia tertio nonas Martij anno quinto.* Anno 1258.

GREGORIVS PAPA DECIMVS NIDROSIENS. ET FVLCONI VPSALEN. Archiepiscopis.

IN *literis quas per vniuersos orbis Principes & Prælatos super generalis conuocatione Concilij destinauimus locum in quo idem Concilium conuenire deberet ex causa duximus subticendum. Prædiximus tamen in illis quod locum eundem ipsis Principibus & Prælatis in tempore competenti tempore curaremus. Nobis igitur cum Fratribus nostris huiusmodi loci electionem deducentib. in exacta discussionis examen, accurrebant hinc inde diuersa, qua discutientium videbantur iudicium alternare. Nec enim præterit nostra considerationis indaginem, quam graue, quam durum esset locum sedis Apostolica proprium, in quo præcipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, in quo illorum corpora gloriosa quiescunt, terrarum spatio tam diffuso dimittere, tanto locorum interuallo à peculiari nostro populo Romana vrbis abesse. Conuicinis partibus qua Sedi eidem non solum spiritualiter sed & temporaliter subesse noscuntur commoditatem vicinitatis nostra subtrahere. Quanta ex absentia nostra diuersis Italia partibus possent imminere discrimina. Quantum partium earundem inueterata scissura pro integranda vnitatis obtinendo remedio nostro auxilio indigebatur. Quantis denique oneribus quantis laboribus nos & fratres nostros quorum aliquos atas, quosdam debilitas, nonnullos infirmitas, & omnes ad hac desuetudo* Anno 1271.

Q reddit

reddit inhabiles, exponimus non sine rerum dispendiis, quæ quasi pro nihilo ducimus, non sine discriminibus corporum quæ non facile contemnuntur. Hæc & alia quæ non posset succinctius sermo percurrere, in partibus istis locum huiusmodi eligendum concludere videbantur. Verum ea quæ in eodem sunt agenda Concilio contrarium suadebant, & specialiter negotium Terræ Sanctæ, quam dum Creatori omnium cariorem omnibus Scriptura describit, satis aperte indicatur charissimam proculdubio habendam à nobis; cum soleat quod est in superiori conspectu præstantius in subditorum extimatione præstare. Adicit insuper beneficiorum consideratio, quæ inibi humano generi de diuinæ superabundantia gratiæ obuenerunt. Siquidem Saluator omnium operatus est in medio illius terræ salutem. Ibi sumpsit corporalis natiuitatis initium. Ibi conuersationis humanæ deduxit tempora. Ibi post probrosæ passionis obprobria pro redemptione nostra mortem subijt temporalem, & sui pretiosi effusione cruoris vetus piaculum expiauit. Nunquid igitur non contingent redemptorum corda immensa & innumerabilia beneficia redemptoris? Nunquid non accendent cuiusque præcordia, vt ipsi pro tot quæ nobis tribuit hoc saltem necessitatis tempore aliquid impendamus? dum Crucis hostes crucifixum habentes ostentui cultores ipsius Christiani nominis professores, vt Christi cultũ de terra deleant, incessanter exterminãt & conculcant, ipsos debilitantes viribus, extenuantes opibus, & eorum facies replentes ignominia, ipsosque diuersis confusionibus saturantes. Ad vindicandas itaque Redemptoris iniurias, ac redimenda ignominiosæ conculcationis obprobria in redemptis, nostrum circa eandem terram Creatoris conformantes affectui, ac debita meditatione pensantes, quod eiusdem Terræ subsidium, præcipue de Principum & Prælatorum pendet auxilio, quos vltra montes credimus conuenire posse commodius, exinaniuimus nosmetipsos, & sub spe illius qui dat lapso virtutem debilitatem nostram contemsimus, sub ipsius fiducia quasi de sua misericordia nos confortat quod intendimus in eo posse sperantes paruipendimus onera, labores considerate calcauimus, & cæteris nostris ac Fratrum nostrorum incommoditatibus in eiusdem considerationis examinatione postpositis, vt Principum & Prælatorum eorundem facilius possimus habere præsentiam, ac Terræ prædictæ subuentionem efficacitter promouere. Ciuitatem Lugdunensem quo inibi Concilium cum maiori commoditate conueniatur, de ipsorum fratrum consilio duximus eligendam. Quod nobis tenore præsentium nunciantes vniuersitatem Vestram monemus, rogamus & hortamur in Domino Apostolica vobis nihilominus auctoritate mandantes, quatenus in prædicta Ciuitate Lugdunen. iuxta præscriptam per supradictas literas formam studeatis omni, quam ineuitabilis necessitas non indiget, excusatione postposita in præfixo per easdem literas termino comparere. Datum apud vrbem veterem Idibus Aprilis anno secundo.

GREGORIVS PAPA DECIMVS FVLCONI VPSALEN. ARCHIEPISCOPO, ET vniuersis Episcopis suæ Prouinciæ.

Anno 1273. *SI mentes fidelium terrenis abdicatis ill. cebris recolendis immensis beneficiis nostri Redemptoris intenderent, si ea cælesti lumine illustrante diligenti scrutarentur examine, si frequenter meditationis attenta conspectui præsentarent, profecto eorum corda concalescerent intra ipsos igne in meditantium animis ardescente. Cuius etenim pectus saxeum non emolliret considerata illius humanationis humilitas, in qua Dei filius factus homo exinaniuit semetipsum formam serui accipiens in similitudinem hominis factus & habitu inuentus vt homo? Cuius viscera non inflammaret caritatis ardore pia consideratio illius humiliationis extremæ, in qua ipse idem factus obediens vsque ad mortem ad exprobrantium opprobria coram tondente se velut agnus obmutuit, & sicut ouis ad occisionem ductus, post contumelias & terrores, post spinas & sputa, post flagella varia, post diuersa denique genera tormentorum innocens sine causa damnatur, & demum saturatus opprobriis, clauis affixus, aceto & felle potatus, confossus lancea in crucis patibulo tam diræ mortis subiit passionem, mysterium redemptionis nostræ perficiens, sine qua parum nobis natiuitas profuisset. Quis igitur hæc & alia largitatis diuinæ charismata*

infra

infra pectoris claustra debita & frequenti meditatione reuoluens non intus feruida zelo deuotionis accensus ferueat, foris ebulliat, exclamet & dicat, Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? & non expectato monitoris vel sollicitatoris officio subiungat vltroneus, Calicem salutaris accipiam & nomen Domini inuocabo? Quem non pudeat ingratitudinis argui, quin potius de infidelitate notari, si Creatori primo benefico Domino, pijssimo Redemptori tantæ necessitatis tempore non assistat, dum hæreditatis suæ funiculus, terra sancta, quam sibi testatur Scriptura sacra testimonium omnium cariorem in Christianitatis confusionem & dedecus per nominis Christiani blasphemos pro parte maxima occupata tenetur, & ad occupationem residui per eosdem instantia infesta persecutionis insistitur, super eo assiduè in partibus illis populus Christianus impetitur, & molestis impetitionibus infestatur. Et quidem si facultas resistendi competeret, non pateretur aliquis absque desertæ fidei scrupulo sui Domini temporalis vel vicum aliquem occupari, & hæreditatis Dominicæ inuasores fideles vlterius patientur? Nunquid marcebunt ocio, aut ocius non exurgent ad vitandum tantæ notæ discrimen? Exurgant itaque qui sunt Christi, & se ipsius esse non solum nomine sed opere fateantur. Exurgant vtique in illius auxilium. Exurgant ad salutis suæ compendium, & illam breuis laboris pretio compendiosè mercentur. Nunc præcipuè dum in sacro Concilio ad hoc ijs diebus inter cætera immo præ cæteris specialiter congregato, eiusdem Terræ nuper ordinata subuentio sub spe illius de cuius solius clementi prouidentia, & clementia prouida ordinatio talis & tanta processit, Laboris optatum exitum repromittit. Conuenientibus siquidem in eodem Concilio nonnullis Principibus & Prælatis de mūdi partibus vniuersis, aliorumq; Principum Prælatorū & Capitulorum Nuncijs post subsidium pecuniarium communi consensu terræ deputatum eidem, conuenit omnium sententia in idipsum, videlicet vt in generali passagio, cuius celeriter auctore Domino terminum præfigemus vniuersis Christicolis contra blasphemos eosdem constantibus vires suas, quanto erit Christianorum virtus vnita potentior, tanto ad liberationem Terræ prædictæ sit via securior, sit opportunitas promptior, & de illa Deo auspice spes certior habeatur. Cæterum licet ad excitandos eorundem fidelium animos in terræ memoratæ succursum sufficere debeat solertior attentio præmissorū, licet possit non indignè sperari, quod si fideles ijdē quo debent pietatis oculo terram eandem respiciant, si ad persecutionis acerbitatem, quam terra eadem continuis lacessita molestijs, ac diutinis vexationibus lassata, perpetitur conuertant piæ compassionis intuitum, discriminaque considerent, quæ per hoc eidem fidei orthodoxæ non est dubium imminere, ad assumendum Terræ sæpefatæ negotium se potius ingerent, quam inuitari ad hoc commonitionis alicuius suffragio expectabant. Quia tamen speramus quod vocem virtutis tribuet Dominus voci suæ, verbum cru is ad promotionem ipsius negotij in vestris Ciuitatibus & Diocesibus decreuimus proponendum, ad quod eo confidentius personas vestras duximus eligendas, quo magis ad id fama vestræ claritas & pastoralis officij debitum nos inuitat. Ideoque Fraternitati Vestræ Prædicationis officium in eisdem Ciuitatibus & Diocesibus præsentium auctoritate committimus, in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus in huiusmodi officio iuxta datam vobis à Deo prudentiam procedentes, illud efficaciter & prudenter, non obstante quod hoc idem alij forsitan sit commissum exequi studeatis, omnes quos ad hoc vtiles fore putabitis instantius inducendo, vt suscipientes cum reuerentia signum Crucis, ipsumque suis cordibus & humeris affigentes ad Terræ memoratæ succursum viriliter se accingant, ac ipsius negotium fideliter exequantur. Et vt ijdem fideles præmissa eo libentius atque feruentius prosequi studeant quo potiorem se nouerint fructum ex suis laboribus percepturos. Nos de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, & illa quam nobis Deus ligandi atque soluendi contulit potestate omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui huiusmodi laborem salutiferæ Crucis signo suscepto in personis proprijs subierint & expensis, plenam peccatorum suorum, de quibus corde contriti & ore confessi fuerint, veniam indulgemus, & in retributionem iustorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem qui non in personis proprijs illuc accesserint, sed in suis duntaxat expensis iuxta qualitates & facultates suas viros idoneos destinarint illic iuxta prudentiæ vestræ arbitrium moraturos,

& illis similiter quilicet in alienis expensis, in personis tamen proprijs assumptæ peregrinationis huiusmodi laborem impleuerint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huius quoque remissionis volumus esse participes iuxta quantitatem subsidij & deuotionis affectum, omnes qui ad subuentionem ipsius negotij de bonis suis congruè ministrabunt. Personas insuper, familias & bona eorum, ex quo Crucem susceperint sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus. Statuentes, vt sub Diocesanorum suorum defensione consistant. Vt autem ijdem Crucesignati eo exequantur libentius & feruentius votum suum, quo pluribus fuerint fauoribus communiti præsentium autoritate concedimus, vt ijdem illis Priuilegijs eaque immunitate gaudeant, quæ in generali Crucesignatorum indulgentia continentur. Et quod per sedis Apostolicæ literas, vel legatorum ipsius extra suas Dioceses, nisi illæ quæ ab eadem sede obtentæ fuerint, plenam de huiusmodi indulto mentionem fecerint, non valeant conueniri, dummodo parati existant coram suis ordinarijs de se querelantibus respondere, quos per vos ab ijs Ecclesiastica censura defendi cessante Appellationis obstaculo volumus, qui eosdem cōtra indultū huiusmodi prædictaue Priuilegia & protectionis nostræ tenorem præsumpserit temere molestare. Ita tamen quod aliquis vestrum de ijs quæ iudicialem indaginem exigunt, & indultum Priuilegiaue huiusmodi, seu personas familias & bona Crucesignatorum ipsorum non contingunt, se in hac parte nullatenus intromittant. Si qui vero illuc proficiscentium ad præstandas vsuras iuramento tenentur astricti, Creditores eorum per vos vel alios sublato appellationis obstaculo districtione simili, vt Iuramenta huiusmodi penitus relaxantes, ab vsurarum vlterius exactione desistant. Si autem quisquam Creditorum eos ad solutionem coegerit vsurarum, ipsum ad restitutionem earum eadem districtione sublato Appellationis obstaculo compellatis. Iudæos quoque ad remittendas ipsis vsuras per sæcularem compelli præcepimus potestatem, & donec eas remiserint ab omnibus Christi fidelibus tam in mercimonijs quam alijs sub excommunicationis pœna iubemus communionem illis omnimodam denegari. Porro ad huiusmodi ardui & salubris negotij efficaciam pleniorem, vt vos conuocare possitis Cleros & populos ad quemcunque volueritis locum idoneum, & ibidem verbum Crucis proponere, ac fidelibus vere pœnitentibus & confessis ad prædicationem huiusmodi conuenientibus, ipsamque audientibus reuerenter, centum dies de iniūctis eis pœnitētijs relaxare, quodq; vobis & vestris familijs in Ecclesijs Ecclesiastico interdicto suppositis excommunicatis & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, voce submissa, & ianuis clausis diuina celebrare officia & facere celebrari, ac populis proponere verbum Crucis, atq; Crucis charactere insignitos, ab excōmunicatione quā pro eo quod sepulchrū dominicū cōtra prohibitionem legatorum sedis Apostolicæ visitarunt, & illos etiam qui eam pro eo quod Sarracenis merces portauerunt, & arma seu alia prohibita vel eisdem contra Christianos impenderunt auxilium, consilium vel fauorem, dummodo quicquid ex huiusmodi damnato acquisiuere commercio, & aliud tantūdem de suis facultatibus in manibus vestris assignent, in Terra prædictæ subsidium conuertendum, nec non tam Clericos quam Laicos crucesignandos, qui pro violenta iniectione manuum in Clericos sæculares virosq; religiosos, vel pro incendio seu sacrilegio inciderunt in canonem sententiæ promulgatæ absoluere iuxta formam Ecclesiæ vice nostra illis exceptis, quorum fuerit excessus difficilis & enormis, & cum Clericis Crucesignatis, qui cum excommunicationis sententiam latam à canone vel ab homine incurrissent, se diuinis immiscuerunt officijs, & receperunt ordines sic ligati, dummodo passis damna vel iniurias satisfaciant competenter, & negotium huiusmodi in proprijs prosequantur personis: vel ad hoc expensis suis idoneos bellatores transmittant, vel de bonis proprijs iuxta idem arbitrium aliquod impendant subsidium, dispensare possitis auctoritate Apostolica vobis duximus concedendum. Præterea nonnulli Clerici & Laici non ratione Ecclesiarum pacifice & sine controuersia, quasdam dicantur decimas possidere, quod vobis sit liberum de fructibus earundem perceptis hactenus eisdem Clericis & Laicis dimittere quintam partem eisdem concedere, quod residuum fructuum eorundem in prædictum conuertere subsidium per seipsos vel vobis si voluerint exhibere in idem negotium conuertendū, ita quod ipsi ad restitutionem aliam de præmissis omnibus minime teneantur, sed inde maneant penitus absoluti; dummodo decimas ipsas Ecclesijs dimittant in posterum ad quas spectant, auctoritate concedimus supradicta. Amplius cū sedes prædicta olim centesimam prouentuum Eccle-

siastico-

sixsticorum per omnia Christiana Regna subsidio deputauerit supradicto, nec sit conueniens quod simul pro terra præfata duo subsidia colligantur, nos centesimam huiusmodi remittentes in locis in quibus non extitit per executores indicta volumus & mandamus, vt singuli vestrum per se vel alios centesimam ipsam in locis tibi subditis in quibus indicta fuit, & non extitit persoluta à tempore quo indicta fuit, vsque ad tempus prædicta decima.

Legata quoque in eisdem locis subsidio prædicto relicta. Omnes quoque obuentiones vndecunque & qualitercunque ipsi subsidio in locis prouenientes eisdem tam pro tempore præterito quam futuro colligatis integraliter, & fideliter conseruetis, eaque omnia penes illos qui decimam per nos eidem subsidio deputatam custodierint, ad opus prædicti subsidij deponatis. Facientes nihilominus quod de Trunco in supradicto Concilio ordinatum extitit obseruari. Videlicet vt in singulis Ecclesijs truncus ponatur concauus tribus clauibus consignatus, prima penes Episcopum, secunda penes Ecclesiæ Sacerdotem, tertia per aliquem religiosum laicum conseruandis, & in eo fidelis quilibet, iuxta quod Dominus eorum mentibus inspirauerit suas eleemosynas deponere in remissionem suorum peccaminum moneantur, & in ipsis Ecclesijs semel in hebdomada pro remissione huiusmodi peccatorum & præsertim offerentium Eleemosynas certa die, quam tamen Sacerdos pronunciet populo, missa publice decantetur. Concedimus insuper, vt si aliqui Crucesignatarum infra tempus à nobis ad votum exequendum huiusmodi assignandum decesserint, illarum indulgentiarũ & gratiarum sint plenè participes, quæ obeuntibus in eiusdem Terræ seruitio sunt concessa. Commutandi ad hæc à personis earundem Diocesum emissum ieiuniorum, ac cuiuslibet peregrinationis votum in negotij prædicti subsidium, ac etiam per censuram Ecclesiasticam Crucesignatos quoslibet cuiuscunque dignitatis vel conditionis fuerint compellendi, vt in eodem termino illud executuri, ad terram prædictam accedant, vel ipsum redimant, si legitimo fuerint impedimento detenti, & vos pensatis personarum, & alijs circumstantijs illud videritis redimendum. In hoc autem & alijs præmissis articulis, in quibus aliqua vestræ circumspectionis arbitrio relinquuntur, maxime sic vestras conscientias oneramus, vt in die stricti examinis teneamini exactam reddere rationem. Deputandi quoque personas idoneas in eisdem Diocesibus ad redemptiones huiusmodi fideliter colligendas, & sub testimonio fidelium consignatas deponendas in tuto, quousque per nos dispositum fuerit, qualiter in huiusmodi subsidium conuertantur, vobis plenam tribuimus facultatem. Volumus præterea & concedimus, vt vos qui in officio prædicationis Crucis pro præsenti negotio per triennium duxeritis laborandum, illis immunitate ac Priuilegijs gaudeatis, illiusque indulgentiæ, etiamsi infra ipsum triennium cum intentione decedatis huiusmodi sitis participes, quæ personaliter in terra prædictæ subsidium transfretantibus in generali Concilio noscuntur esse concessa. Volumus insuper & præsentium auctoritate districte præcipimus, quod in præmissis exequendis sitis solliciti & attenti, nec in illorum executione alter alterum impediat vel perturbet. Non obstante si aliquibus quod excommunicari, suspendi vel interdici nan valeant, à dicta sede forsi an sit indultum, & quibuslibet alijs indulgentijs, seu Priuilegijs, seu litteris ab eadem sede obtentis, per quæ prædicta impediri vel differri possint, & de quibus specialem oporteat in præsentibus fieri mentionem. Datum Lugduni XV. Calendas octobris anno tertio.

GREGORIVS PAPA X. FVLCONI ELECO VPSALEN.

CVM nos *Venerabili fratri nostro ... Arusien. Episcopo nostris dederimus litteris in* Anno 1273.
mandatis, vt tibi quem nuper Vpsal. Ecclesiæ præfecimus in Archiepiscopum & pastorem ascitis sibi duobus vel tribus Episcopis munus consecrationis impendat, ne te oporteat ad eandem sedem Apostolicã pro obtinẽdo ab ipsa palleo, quod est insigne Pontificialis officij accedere seu nuntium destinare, ac exinde laboribus seu sumptibus fatigari, tuis supplicationibus annuentes, palleum ipsum per te cum ea quadecet instantia postulatum, de Beati Petri corpore

sumptum, per Rogerium Canonicum Ecclesiæ Vpsallen. assignandum tibi per eundem Arusien. Episcopum ei duximus destinandum, vt postquam consecrationem ipsam receperis, illud tibi assignet sub forma, quam ei sub bulla nostra mittimus interclusam, & à te nostro & Ecclesiæ Romanæ nomine sub forma quam sub eadem bulla eidem dirigimus fidelitatis recipiat iuramentum. Volumus autem quod per hoc Lunden. Ecclesiæ, cui prædicta Vpsallen. Ecclesia subesse dicitur nullum præiudicium generetur. Tu vero illo intra Ecclesiam tuam illis diebus vtaris, qui expressim in ipsius Ecclesiæ Priuilegijs continentur. Vt igitur signum non discrepet à signato, sed quod geris exterius illud serues in mente, discretionem tuam monemus & hortamur attente, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus humilitatem & iustitiam dante Domino, qui dat munera & præmia elargitur obseruare studeas, quæ suum seruant & promouent Seruatorem, vt Vpsall. Ecclesiam sponsam tuam cures sollicitè auctore Domino spiritualiter & temporaliter augmentare. Datum Lugduni XV. Calend. septem. anno tertio.

ISRAELI EPISCOPO ARVSIENS.

Anno 1273. DILECTVS *Filius Fulco Vpsallen. Electus nobis humiliter supplicauit, vt sibi quem nuper de Fratrum nostrorum consilio Vpsallen. Ecclesiæ in Archiepiscopum præfecimus & Pastorem impendi munus consecrationis in illis partibus mandaremus. Nos igitur Electi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Electo, assitis tibi duobus vel tribus Episcopis, sublato cuiuslibet difficultatis obstaculo, prædictum munus consecrationis impendas. Ne verò præfatum Electum oporteat ad sedem Apostolicam pro obtinendo ab ipsa palleo, quod est insigne Pontificalis officij accedere, seu Nuntium destinare, ac exinde laboribus seu sumtibus fatigari. Nos ipsius Electi supplicationibus annuentes, palleum ipsum per eum à nobis cum ea qua decuit instantia postulatum de corpore Beati Petri sumptum, per Rogerium Canonicum Ecclesiæ Vpsallen. tibi assignandum sibi per te duximus destinandum, vt postquam consecrationem prædictam receperit, ei illud assignes sub forma, quam tibi sub Bulla nostra mittimus interclusam, & ab ipso nomine nostro & Ecclesiæ Romanæ sub forma, quam tibi sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis recipias iuramentum. Volumus autem quod Lunden. Ecclesiæ, cui prædicta Vpsallen. Ecclesia iure primatiæ subesse dicitur, nullum per hoc præiudicium generetur. Formam autem iuramenti quod ipse præstabit de verbo ad verbum nobis per eiusdem patentes litteras suo sigillo signatas per primum nuntium studeas quanto citius destinare. Datum vt in proxima.*

GREGORIVS PAPA X. FVLCONI ELECTO VPSALLEN.

Anno 1273. IN *supremæ dignitatis specula licet immeriti, disponente Domino constituti, curis continuis angimur & pulsamur sollicitudinibus successiuis, vt de personis illis prouideatur Ecclesijs Pastoribus viduatis, quorum industria & virtute eædem Ecclesiæ in suis Iuribus & libertatibus conseruentur, reddatur tranquillior Cleri status, & commodis salutis & gaudijs plebs lætetur. Sane dudum Vbsallen. Ecclesia destituta Pastore, ac ipsius prouisione ad sedem Apostolicam deuoluta felicis recordationis Clemens Papa Prædecessor noster de dilecto filio Sachero Præposito Ecclesiæ Lunden. in illis partibus commorante duxit eidem Vpsallen. Ecclesiæ prouidendum. Verum dictus Præpositus prouisionem huiusmodi de se factam cum ad eius peruenit notitiam non acceptans, ei renuit consentire, ac renunciauit expresse, prout exhibitæ nobis ipsius Præpositi litteræ continebant. Nos igitur de ipsius Vpsallen. Ecclesiæ ordinatione sollicite cogitantes, ac talem illi præesse Pontificem cupientes, per quem posset eadem Vpsallensis Ecclesia salubriter gubernari, direximus in te Fulconem, tunc Archidiaconum*

tonum Vpsallens. oculos nostræ mentis, quem nobis & Fratribus nostris de litterarum scientia, morum maturitate, prudentia spiritu-lium, & temporalium, prouidentia fide dignorum testimonia commendarunt, teque de ipsorum Fratrum consilio præfata Vpsallen. Ecclesiæ præfecimus in Archiepiscopum & Pastorem, firmam spem fiduciamque tenentes, quod eadem Ecclesia Deo auctore, per tua industria ac circumspectionis fructuosum studium præseruabitur à noxijs & spiritualibus & temporalibus proficiet incrementis. Tolle igitur iugum Domini tam leue collis humilibus, quam suaue, ac in dilectione Domini pascendum suscipe gregem eius super quem noctis vigilias diligens sollicitusque custadi, vt liber non pateat aditus inuasari, & Dominus in suspicabili hora venturus si te inueniet sic agentem cursu consummato, qui tuo labori proponitur, & eorum fide seruata, quæ tuæ sollicitudini committuntur, te fidelem compertum in modico supra multa constituat, ac in dilecta gaudiorum suorum tabernacula introducat. Datum Lugduni XVI. Calendas Septembris anno tertio.

In eodem modo Capitulo Vpsallen. Ecclesiæ. In suprema dignitatis specula &c. vt in proxima vsque gubernari, direximus in dilectum filium nostrum Fulconem Electum tunc Archidiaconum Vpsallen. Ecclesiæ oculos nostræ mentis, quem &c. vsque incrementis, vt in eadem proxima verbis competenter mutatis. Quocirca Vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Electo tanquam Patri & Pastori animarum vestrarum humiliter intendentes, ac exhibentes ei obedientiam & reuerentiam debitam & deuotam, eius salubria monita & mandata suscipiatis hilariter & efficaciter adimplere curetis. Alioquin sententiam quam idem ritè tulerit in rebelles, ratam habebimus & faciemus auctore Domino vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari. Datum vt supra.

In eodem modo Clero Ciuitatis & Dioc: Vpsallen.

In eodem modo vniuersis Episcopis suffraganeis Ecclesiæ Vpsallen. In suprema &c. vt in proxima vsque incrementis. Quocirca vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus dicto Electo tanquam membra capiti obsequentes exhibeatis ei obedientiam & reuerentiam debitam & deuotam. Ita quod mutua inter vos & illum gratia gratos sortiatur effectus, & nos deuotionem vestram possimus propter hoc non immerito commendare. Alioquin &c. vt in III. proxima. Datum Lugduni XVI. Calendas septembris anno tertio.

In eodem modo populo Ciuitatis & Diocesis Vpsallen. In suprema &c. vsque incrementis. Quocirca Vniuersitati Vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi Electo tanquam Patri & Pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendentes, exhibeatis eidem honorificentiam & reuerentiam debitam & deuotam, eius salubria monita & mandata suscipiendo hilariter & efficaciter obseruando. Alioquin sententiam siue pœnam &c. Datum vt in proxima.

NICOLAVS PAPA III. IACOBO ELECTO VBSALLEN.

MVNVS confirmationis & consecrationis te ritè à Venerabili Fratre nostro .. Archiepiscopo Lunden. Sueciæ Primate obtinuisse proponens concedi per nos tibi pallium insigne quidem plenitudinis officij pastoralis instantia qua decuit postulasti, dilectis filijs Andrea Canonico Vpsallen. & Simone Rectore Ecclesiæ de Girstum Vpsallen. Dioc: Procuratoribus tuis ad nostram propter hoc præsentiam destinatis. Sane postmodum dilecto filio Petro Canonico Lunden. Procuratore dicti Archiepiscopi proponente fore dudum auctoritate indulti Apostolici obseruatum, videlicet quod huiusmodi pallium debet eidem Archiepiscopo præsentari, per eum postmodum Electo Vpsallen. tradendum, tuisque Procuratoribus asserentibus contrarium esse seruatum à tempore cuius memoria non existit. Nos super hoc de congruo remedio prouidere volentes, Venerabilibus Fratribus nostris ... Lincopen. & ... Roskilden. Episcopis pallium de corpore Beati Petri sumptum, vt illud tibi vice nostra iuxta formam quam eis mittimus, ipsi vel eorum alter assignent & tradant, & à te iuxta formam quam similiter eis dirigimus fidelitatis iuramentum per dictos Canonicum Vpsallen. & Rectorem prouidimus destinandum.

Anno 1277

dum. Nolentes quod per hoc Lunden. praiudicium generetur, Vpsallen. vero Eccl. siis ius nouum aliquod acquiratur. Tu autem illo intra Ecclesiam tuam illis diebus vtaris, qui expressi in ipsius Ecclesia Priuilegijs continentur. Vt igitur signum non discrepet à signato, sed quod geris exterius intus serues in mente discretionem tuam monemus & hortamur attente, quatenus humilitatem & iustitiam dante Domino, qui dat munera & pramia elargitur conseruare studeas, qua suum seruant & promouent seruatorem, & Vpsallen. Ecclesiam sponsam tuam cures sollicite auctore Domino spiritualiter & temporaliter augmentare. Datum Roma apud sanctum Petrum Nonis aprilis anno primo.

In eodem modo Andrea Canonico Vpsal. & Simoni Rectori Ecclesia de Piristum Vpsal. Dioc. Munus confirmationis &c. vt in proxima verbis competenter mutatis vsque prouidere volentes. Venerabilibus Fratribus nostris Lincop. & Roskilden. Episcopis, per vos de quorum fidelitate plenam in Domino fiduciam gerimus palleum ipsum de corpore Beati Petri sumptum, per eos eidem tradendum Electo prouidimus transmittendum, recepto à vobis, quod ipsius pallei assignationem iuxta mandatum nostrum prosequimini, fidelitatis iuramento. Quocirca discretioni Vestra per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad Episcoporum ipsorum prasentiam personaliter accedentes, eis supradictum pall. um per ipsos sicu. pradicitur memorato Electo tradendum prasentare fideliter studeatis. Volumus autem quod si alterum vestrum medio tempore infirmari, aut alias impediri seu decedere fortasse contigerit, superstes nihilominus dictum palleum iuxta pramissum modum eisdem Episcopis repraesentet, quod si forte vos ambos quod auertat Deus, antequam huiusmodi prasentatio fiat, obire contigerit, praueniatis opportuna sollicitudine horam mortis, ipsumque Palleum apud Cathedrale vel religiosam Ecclesiam illius loci, vbi vos Omnipotens Deus de hac vita vocauerit, deponatis fideliter dictis Episcopis, iuxta formam vobis traditam sicut mandauimus quantocitius fieri poterit assignandum. Nolumus autem quod per hoc Lunden. generetur praiudicium, Vpsallen. vero Ecclesiis ius nouum aliquod acquiratur. Datum vt supra.

In eodem modo Venerabilibus Fratribus Henrico Lincopen. & .. Roskilden. Episcopis, Munus consecrationis vt in alia vsque prouidere vol. ntes, vobis per eosdem Canonicum Vpsal. & Rectorem, de quorum fidelitate plenam in Domino fiduciam gerimus, palleum ipsum de Beati Petri corpore sumptum per vos eidem tradendum electo prouidimus destinandum ab ipsis Canonico Vpsallen. & Rectore iuramento recepto, quod ipsius Pallei assignationem iuxta mandatum nostrum fideliter prosequentur. Quocirca Fraternitati Vestra per Apostolica scripta mãdamus, quatenus vos vel alter vestrum dictum palleum de manibus ipsorum Canonici Vpsal. & Rectoris debita reuerentia & deuotione suscipientes, illud vice n. stra eidem Electo sub forma quam vobis sub bulla nostra transmittimus assignetis, recepturi ab eo postmodum nostro & Romana Ecclesia nomine fidelitatis debita solitum iuramentum, iuxta formam quam sub bulla similiter vobis mittimus introclusam. Formam autem iuramenti quod idem Electus prastabit, nobis per suas patentes litteras eius sigillo munitas, & per proprium Nuncium quantocitius transmittatis. Nolumus siquidem quod per hoc Lunden. generetur praiudicium, Vpsallen. vero Ecclesiis ius nouum aliquod acquiratur. Datum vt supr.

NICOLAVS PAPA TERTIVS CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO REGI SVETIÆ Illustri.

Anno 1278. ILLAM *in desiderijs Regiis sperantes deuotionis sinceritatem haberi, qua mentem tuam sollicitat ad negotium Terra sancta faliciter dirigendum, serenitatem Regiam rogamus attente, quatenus ob reuerentiam Regis Regum, cuius res agitur, pecuniam decima, in Regno tuo collecta, in eiusdem Terra subsidium conuertenda, extra idem Regnum extrahi libere patiaris, & ad id prospere peragendum prastes plena securitatis fauorẽ: ita quod ex hoc diuina Maiestatis gratiã vberius merearis, nosque zelum quem habes ad procurandam pradictã Terra prosperitatẽ, dignis in Domino Laudibus commendemus. Dat. Roma apud Sanctum Petrum XI. Cal. Iul. an. II.*

MARTI-

MARTINVS PAPA QVARTVS CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO MAGNO Regi Suueorum illustri.

QVANTO *personam tuam maiori prosequimur abundantia caritatis, tanto liberalius votis tuis libenter annuimus in his potissime, quæ proficiunt ad salutem. Regis itaq; supplicationibus inclinati, auctoritate tibi præsentium indulgemus: vt aliquem idoneum Presbyterum Religiosum vel sæcularem quotiescunque opportunum fuerit tibi eligere valeas Confessorem, qui audita confessione tua tibi auctoritate nostra pro peccatis tuis quæ sibi confiteberis, pœnitentiam salutarem iniungens, super his beneficium debitæ absolutionis impendat: nisi talia fuerint, propter quæ sedes Apostolica sit merito consulenda. Idem quoque vota per te emissa, Hierosolymitan. ac continentiæ voto excepto, hac vice eadem auctoritate commutare valeas in alia opera pietatis, prout anima tuæ saluti viderit expedire. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere &c. Datum apud Vrbem veterem X. Calend. decem. anno pr.* Anno 1281.

HONORIVS PAPA QVARTVS VENERABILI FRATRI J. ARCHIEPISCOPO Lunden.

PALLEVM *insigne Pontificalis officij fuit a nobis pro dilecto filio Magno Electo Vpsallen. per dilectos filios Petrum Agnetis Canonicum Lunden & Hermingum Clericum Vpsallen. Dioc. Nuntios cum ea qua decuit instantia postulatum, & dum de concessione ipsius Pallei ageretur, idem Petrus pro parte ipsius Ecclesiæ Lunden. asseruit dictum pallium tibi specialiter fore mittendũ per te assignandũ Electo prædicto, prætēdens per priuilegiũ Apostolicũ apparere, quod Archiepiscopus Lunden. Primatum obtinens, præest Archiepiscopo Vpsallen. & quod cum expedit Palleum impetratum à Romano Pontifice per Nuncios Ecclesiarum earundem ad ipsam Lunden. portetur Ecclesiam, & per Lunden Archiepiscopum Vpsallen. Electo consecrato in Archiepiscopum tribuatur. In regestro quoque fel. rec. Gregorij Papæ Noni Prædecessoris nostri noscitur esse repertum, quod olim Palleum petitum per Canonicos Ecclesiæ Lunden. Nuntios tunc pro Vpsallen. Electo fuerat Antecessori tuo Archiepiscopo Lunden transmissum eidem Electo per eundem Archiepiscopum assignandum. Sed eodem Hermingo pro dicta Vpsallen. Ecclesia in contrarium asserente prædicta non fuisse seruata. Nos præcauere volentes, ne dictæ Ecclesiæ sub talibus anfractibus dispendium patiantur, huiusmodi petitioni duximus annuendum, & per eosdem Petrum & Hermingum dictum Palleum de corpore Beati Petri sumptum tibi transmittimus assignandum eidem Magno Electo, vt illo intra Ecclesiam suam illis diebus vtatur, qui expressi in ipsius Ecclesiæ Vpsallen. Priuilegijs continentur. Quocirca Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus illud auctoritate nostra electo assignes eidem sub ea forma, quam tibi sub Bulla nostra mittimus introclusam, & ab eo nomine nostro & Ecclesiæ Romanæ sub forma quam sub eadem Bulla tibi dirigimus fidelitatis recipias Iuramentum. Formam autem Iuramenti quod ipse præstabit nobis per eiusdem patentes litteras suo sigillo signatas per proprium Nuntium quanto citius studeas destinare. Cæterum non intendimus quod per hoc tibi vel Ecclesiæ tuæ nouum ius aliquod acquiratur, vel prædictæ Vpsallen. Ecclesiæ in prosecutione sui Iuris, si quod circa præmissa sibi competit quoad petitorium in aliquo derogetur Datum Romæ apud Sanctam Sabinam XV. Calend. Iunij anno primo.* Anno 1285.

CLE-

CLEMENS PAPA QVINTVS CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO... REGI SVECIÆ illustri.

Anno 1307. REGNANS *in Cælis triumphans Ecclesia, cuius Pastor est Pater æternus, cui Sanctorum ministrant agmina, & laudis gloriam Angelorum Chori decantant, in terris ad sui similitudinem & repræsentationem constituit Ecclesiam militantem vnigenito filio Dei viui Domino Iesu Christo ineffabili commercio copulatam: in qua idem vnigenitus Dei filius à Patre progrediens per illustrationem Paracliti procedentis pariter ab vtroque, statuit fidei fundamentum. Sane Romana Ecclesia Mater alma fidelium caput est disponente Domino Ecclesiarum aliarum omnium & Magistra, à qua veluti à primitiuo fonte ad singulas alias eiusdem fidei riuuli deriuantur, ad cuius regimen voluit Christi clementia Romanum Pontificem vice sui deputare ministrum, vt instructionem & doctrinam ipsius eloquio veritatis Euangelicæ traditam, cuncti renati fonte baptismatis teneant & conseruent, & qui sub hac doctrina cursum vitæ recte peregerint salui fiant: Qui vero ab ipsa deuiauerint condemnentur. Ipsa nempe Romana Mater Ecclesia iuxta exigentiam possibilitatis ipsius ad cunctas Orbis Prouincias, in quibus Diuini nominis cultus viget, fideique Catholicæ obseruantia rutilat intuitum sedulæ considerationis extendens ac subiiciens ab olim suæ considerationis examini diuturnæ calamitatis angustias illius specialis hæreditatis dominicæ videlicet Terræ Sanctæ ab infidelibus miserabiliter conculcatæ, in qua idem Patris æterni filius, nostræ carnis indumento contectus salutem humani generis pietate ineffabili extitit operatus, quamque sua ipse voluit corporali insignire præsentia, & proprij aspersione sanguinis consecrare, multa sollicitudine studuit eidem Terræ retro habitis temporibus quibus potuit remedijs vt eriperet ab ipsis impijs subuenire. Et quia inter cæteros quos professio Christianæ Religionis includit Milites ac Fratres Domus militiæ Templi Hierosolymitani, sicut est toti Orbi notorium, tanquam speciales eiusdem fidei pugiles, & iam dictæ Terræ præcipui defensionis ipsius Terræ negotium principaliter gerere videbantur, ipsos & eorum Ordinem præfata Ecclesia specialis fauoris plenitudine prosequens, eos aduersus* CHRISTI *hostes Crucis armauit signaculo, multis exaltauit honoribus, ditauit facultatibus, ac diuersis libertatibus & priuilegijs communiuit. Hi nimirum cum crederentur in Domini seruitio sub regulari habitu fideliter militare sibi quasi cunctorum manus fidelium cum multiplici erogatione bonorum sentiebant multifarie multisque modis propterea adiutrices. Sed proh dolor noua & calamitosa vox de malignitatis Fratrum ipsorum enormitate progrediens nostrum repleuit, immo verius perturbauit auditum. Hæc enim vox nũcia lamentationis & gemitus audientibus horrorem ingerit, commouet animos, mentes turbat, & cunctis fidei Christianæ cultoribus nouæ & ineffabilis amaritudinis calicem subministrat, & dum facti seriem eius necessitate poscente depromimus, noster attenuatur præ angustia spiritus, & valetudinis fatigata confractibus membra singula, præ nimio dolore tabescunt. Dudum siquidem circa nostræ promotionis ad apicem Summi Pontificatus initium, etiam antequam Lugdunum, vbi recepimus nostræ coronationis insignia, veniremus, & post tam ibi quam alibi secreta quorundam nobis insinuatio intimauit, quod Magister, Præceptores, & alij Fratres dictæ militiæ Templi & etiam ipse ordo, qui ad defensionem patrimonij ipsius Domini nostri Iesu Christi fuerant in transmarinis Partibus deputati, contra ipsum Dominum in scelus Apostasiæ nephandum detestabile Idolatriæ vitium, execrabile facinus Sodomorum & hæreses varias erant lapsi. Sed quia non erat verisimile, nec credibile videbatur, quod Viri tam religiosi, qui præcipue pro Christi nomine suum sæpe sanguinem effundere, ac personas suas mortis periculis frequenter exponere credebantur, quique multa & magna tam in diuinis officijs, quam in ieiunijs & alijs obseruãtiis deuotionis signa frequentius protendebant, suæ sic essent salutis immemores, quod talia perpetrarent; huiusmodi insinua-*

insinuationi ac delationi ipsorum eiusdem Domini nostri exemplis, & canonicæ scripturæ doctrinis edocti, aurem noluimus inclinare: deinde vero tu cui eadem fuerant facinora nunciata, non typo auaritiæ, cum de bonis Templariorum nihil tibi vendicare vel appropriare intendas, immo ea nobis & Ecclesiæ per deputandos super hoc à nobis administranda, gubernanda, conseruanda, & custodienda liberaliter & deuote in Regno tuo dimisisti, manum tuam exinde totaliter amouendo. Sed fidei Orthodoxæ feruore tuorum progenitorum vestigia clara sequens accensus de præmissis quantum licite potuisti te informans, ad instruendum & informandum nos super his multas & magnas nobis informationes per tuos nuncios ac litteras destinasti. Infamia vero contra Templarios ipsos increbescente validius super sceleribus antedictis; & quia etiam quidam miles eiusdem Ordinis Magnæ nobilitatis, & qui non leuis opinionis in dicto Ordine habebatur, coram nobis secreto iuratus deposuit, quod in receptione Fratrum præfati Ordinis hæc consuetudo vel verius corruptela seruatur Quod ad recipientis vel ab eo deputati suggestionem qui recipitur CHRISTVM IESVM negat, & super crucem sibi ostensam spuit in vituperium Crucifixi, & quædam alia faciunt recipiens & receptus quæ non sunt licita, nec humanæ conueniunt honestati, prout ipse tunc confessus extitit coram nobis. Vrgente nos ad id officij nostri debito, vitare nequiuimus quin tot & tantis clamoribus accommodaremus auditum Sed cum demum fama publica deferente ac clamosa insinuatione tui, nec non & ducum, Comitum, & Baronum ac aliorum Nobilium, Cleri quoque ac populi dicti Regni tui ad nostram propter hoc tam per se, quam per Procuratores & syndicos præsentiam venientium, quod dolenter referimus, ad nostram audientiam peruenisset, quod Magister, Præceptores & alij Fratres dicti Ordinis, & ipse Ordo præfatus & pluribus alijs erant criminibus irretiti, & præmissa per multas confessiones, attestationes & depositiones præfati Magistri & Principalium Præceptorum & Fratrum Ordinis prælibati coram multis Prælatis & hæreticæ prauitatis Inquisitore in Regno Franciæ factas, habitas & receptas, & in publicam scripturam redactas, nobisque & Fratribus nostris ostensas, probari quodammodo viderentur, ac nihilominus fama & clamores prædicti in tantum inualuissent, & etiam ascendissent tam contra ipsum ordinem, quam contra personas singulares eiusdem, quod sine graui scandalo præteriri non poterat, nec absque eminenti periculo tolerari. Nos illius cuius vices licet immeriti in terris gerimus vestigijs inhærentes, ad inquirendum de prædictis ratione præuia duximus procedendum, multosque de Præceptoribus, Presbyteris, militibus, & alijs Fratribus dicti Ordinis reputationis non modicæ in nostra præsentia constitutos, præstito ab eis Iuramento, quod super præmissis meram & plenam nobis dicerent veritatem. Super prædictis interrogauimus & examinauimus vsque ad numerum Septuaginta duorum multis ex Fratribus nostris nobis assistentibus diligenter, eorumque confessiones per publicas manus in authenticam scripturam redactas illico in nostra & dictorum Fratrum nostrorum præsentia, ac deinde interposito aliquorum dierum spatio in Consistorio legi fecimus coram ipsis, & illas in suo vulgari cuilibet illorum exponi. Qui perseuerantes in illis eas expresse & sponte, prout recitata fuerant approbarunt.

Postque cum Magistro, & præcipuis præceptoribus præfati Ordinis intendentes super præmissis inquirere per nos ipsos, ipsum Magistrum & .. Franciæ .. Terræ vltramarinæ... Normaniæ... Aquitaniæ ac .. Pictauiæ Præceptores maiores, nobis etiam Pictauis existentibus, mandauimus præsentari. Sed quoniam quidam ex eis sic infirmabantur tunc temporis, quod equitare non poterant, nec ad nostram præsentiam quoquomodo adduci. Nos cum eis scire volentes de præmissis omnibus veritatem, & an vera essent quæ continebantur in eorum confessionibus, & depositionibus quas coram Inquisitore prauitatis hæreticæ in Regno tuo præfato præsentibus quibusdam Notarijs publicis, & multis alijs bonis viris dicebantur fecisse nobis, & Fratribus nostris per ipsum Inquisitorem sub manibus publicis exhibitis, & ostensis dilectis filijs nostris Berengario tituli Sanctorum Nerei, & Achillei, & Stephano tituli Sancti Cyriaci in Thermis Presbyteris, ac Landulpho Sancti Angeli

Diacono Cardinalibus, de quorum prudentia, experientia & fidelitate indubitatam fiduciam obtinemus, commisimus & mandauimus, vt ipsi cum præfatis Magistro ac Præceptoribus inquirerent tam contra ipsos & alias singulares personas dicti Ordinis generaliter, quam contra ipsum Ordinem super præmissis cum diligentia veritatem, & quicquid super his inuenirent nobis referre, ac eorum confessiones & depositiones per manum publicam in scriptis redactas nostro Apostolatui deferre ac præsentare curarent, eisdem magistro & Præceptoribus absolutionis beneficium à sententia excommunicationis, quam pro præmissis, si vera essent, incurrerant, si absolutionem humiliter ac deuote peterent vt deberent iuxta formam Ecclesiæ impensuri. Qui Cardinales ad ipsum Magistrum & Præceptores personaliter accedentes eis sui aduentus causam exposuerunt. Et quoniam tam personæ quam res ipsorum & aliorum Templariorum in dicto Regno tuo consistentium in manibus nostris erant, quod libere absque metu cuiusquam plene ac pure super præmissis omnibus ipsis Cardinalibus dicerent veritatem, eis auctoritate Apostolica iniunxerunt. Qui Magister & Præceptores Franciæ, Terræ vltramarinæ, Normanniæ, Aquitaniæ, ac Pictauiæ coram ipsis tribus Cardinalibus præsentibus quatuor Tabellionibus publicis & multis alijs bonis Viris ad sancta Dei Euangelia ab eis corporaliter tacta præstito iuramento, quod super præmissis omnibus meram & plenam dicerent veritatem coram ipsis singulariter, libere, ac sponte, absque coactione qualibet & terrore deposuerunt & confessi fuerunt inter cætera Christi abnegationem & sputionem super Crucem cum in ordine Templi recepti fuerunt, & quidam ex eis se sub eadem forma scilicet cum abnegatione Christi, ac sputione super Crucem Fratres multos recepisse. Sunt etiam quidam ex eis quædam alia horribilia & inhonesta confessi, quæ vt eorum ad præsens parcamus verecundiæ subticemus. Dixerunt præterea & confessi fuerunt esse vera quæ in eorum Confessionibus & depositionibus continentur, quas dudum fecerant coram Inquisitore hæreticæ prauitatis. Quæ confessiones & depositiones Magistri & Præceptorum prædictorum in scripturam publicam per quatuor Tabelliones publicos redactæ, in ipsorum Magistri & Præceptorum, & quorundam aliorum bonorum virorum præsentia ac deinde interposito aliquorum dierum spatio, coram ipsis eisdem lectæ fuerunt de mandato & in præsentia Cardinalium prædictorum, & in suo vulgari exposita cuilibet eorundem Qui perseuerantes in illis, eas expresse ac sponte, prout recitatæ fuerant approbarunt: & post confessiones & depositiones huiusmodi ab ipsis Cardinalibus ab excommunicatione quam pro præmissis incurrerant, absolutionem flexis genibus manibusque complosis humiliter & deuote ac cum lachrimarum effusione non modica petierunt. Ipsi vero Cardinales, quia Ecclesia non claudit gremium redeunti ab eisdem Magistro & Præceptoribus hæresi abiurata expresse ipsis secundum formam Ecclesiæ auctoritate nostra absolutionis beneficium impenderunt. Ac deinde ad nostram præsentiam redeuntes confessiones & depositiones prælibatorum Magistri & Præceptorum in scripturam publicam per manus publicas, vt est dictum, redactas nobis præsentauerunt, & quæ cum dictis Magistro & Præceptoribus fecerant, retulerunt. Ex quibus depositionibus & confessionibus ac relatione inuenimus sæpe fatos Magistrum & Fratres in præmissis & circa præmissa, licet quosdam ex eis in pluribus & alios in paucioribus grauiter deliquisse. Attendentes autem quod scelera tam horrenda transire incorrecta absque Dei omnipotentis & omnium Catholicorum iniuria non poterant nec debebant, decreuimus de Fratrum nostrorum consilio per Ordinarios locorum, ac per alios fideles & sapientes viros ad hoc deputandos à nobis contra singulares personas ipsius ordinis, nec non contra dictum Ordinem per certas discretas personas, quas ad hoc duximus deputandas super præmissis criminibus & excessibus inquirendum. His nempe quæ magis flere cogimur quam narrare cor nostrum passione nimia cruciatur. Et cum tanta proinde nobis immineat gemendi materia, fletum non possumus declinare. Quisnam Catholicus hæc audiens nimis non doleat & prorumpat in luctum? Quis fidelis huiusmodi sinistrum euentum intelligens amara non emittat suspiria? verbaque lamentationis & mæstitudinis non eructet? cum tota Christianitas huiusmodi doloris sit particeps, & hic casus fideles percutiat vniuersos. Ex his etiam dum ministerio debita considerationis nostræ mentis præsentatur obtutibus, ignis in nostris meditationibus exardescit, &

ad tanta

ad tanta discrimina releuanda suspirat affectus, zelus accenditur, & spiritus anxiatur. Ad quod cum nos sufficere commode non posse sciamus, leuamus oculos nostros ad montem, Montem quidem Dei, Montem vberem, montem pinguem, vnde opportunum nobis prouenire auxilium & humiliter petimus, & deuoti speramus: Et quia salubre in his adhibere remedium interest generaliter omnium. Nos cum eisdem Fratribus nostris, alijsque viris prudentibus exacto ac frequenti tractatu prahabito, prout tanta necessitatis instantia exigebat, de ipsorum Fratrum consilio Vniuersale Concilium, sicut imitatione digna Sanctorum Patrum consuetudo laudabilis longaua obseruationis exemplo nos instruit à proximis Calendis Octobris ad duos annos immediate sequentes decreuimus congregandum, vt in eo tam circa dictum Ordinem & personas singulares & bona eiusdem & alia qua statum tangunt fidei Catholica, quam circa recuperationem & subsidium Terra Sancta, ac reparationem, ordinationem & stabilitatem Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum & libertatum eorum illa Deo auspice communi consilio inueniatur prouisio, & eiusdem approbatione Concilij roboretur, per cuius salutiferam executionem virtus Altissimi elimatis erroribus roborata fide ad tramitem veritatis reductis errantibus, reintegrata eiusdem fidei vnitate, exstirpatis vitijs, virtutibusque plantatis, correctis excessibus, moribus reformatis, repressis oppressionibus, libertate solida, stabilitate munita, recuperatis deperditis, & eiusdem Terra statu prospere reparato occupata restituat, vastata restauret, & restaurata conseruet, nobisque viam aperiat idem ipse qui nouit, & facultatem tribuat ipse qui potest, vt sic in pramissis iuxta intensum animi nostri desiderium sibi ministrare possimus salubriter, quod idem verus eiusdem vniuersalis sponsus Ecclesia ipsam dilectam suam purgatam maculis, munitam virtute, monilibus ac ornatam vnam semper habeat & formosam ad sui nominis laudem & gloriam, ad animarum perfectum robur, fidei pacem, & exaltationem populi Christiani. Quia vero prosecutio tanti propositi tempore indiget, vt deductum maturius facilius auctore Domino effectum debitum sortiatur, pradictum tempus ad id duximus deputandum. Vnde Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis & Episcopis & dilectis filijs Electis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Prapositis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & alijs Ecclesiarū Pralatis exemptis & non exemptis, eorumque Capitulis & Conuentibus per alias nostras litteras pracipiendo mandamus, vt ijdem Archiepiscopi, necnon & cateri Episcopi per ipsorum Archiepiscoporum Prouincias constituti, in eisdem litteris nominati, reliquis ipsorum Episcoporum indictis Prouincijs remanentibus ad ea qua Pontificale officium exigunt, tam in suis quam illarum dictorum Prouinciarum, qui ad huiusmodi Concilium vniuersale accesserint Ciuitatibus & Dioecesibus exercenda omni negligentia relegata cunctis, prout talis & tanti negotij qualitas exigit dispositis & paratis, sic medio tempore se accingant ad iter, quod in huiusmodi decreto termino quem eis & alijs peremptorie assignamus in Viennensi Ciuitate nostra ijdem Archiepiscopi & Episcopi taliter nominati personaliter, alij vero remanentes Episcopi Electi Abbates, Priores, Decani, Prapositi, Archidiaconi, Archipresbyteri & Pralati, Capitula, & Conuentus per eosdem Archiepiscopos & Episcopos ad pradictum Concilium accessuros, quibus ad omnia qua in eodem Concilio statuentur fient & ordinabuntur & fuerint opportuna concedant plenariā potestatem, de qua sufficienter constet per publica documenta, conspectui reprasentent. Quod si forsan ipsis Archiepiscopis, Episcopis accessuris huiusmodi noluerint concedere potestatem eo casu venire, vel alios Procuratores idoneos cum potestate simili ad idem teneantur Concilium destinare. Non obstantibus quibuslibet Priuilegijs seu indulgentijs quibuscunque personis, ordini, dignitati seu Collegio sub quacunque verborum forma vel expressione à pradicta sede concessis, per qua possit effectus huiusmodi mandati nostri quomodolibet impediri, aut eidem in aliquo derogari. Mandauimus insuper, vt ijdem Archiepiscopi & Pralati per se vel alios Viros prudentes Deum timentes, & habentes pra oculis omnia qua correctionis & reformationis limam exposcunt inquirentes subtiliter & conscribentes fideliter eadem ad ipsius Concilij notitiam deferant. Et nos nihilominus varijs modis & vijs solers studium & efficacem operam dare proponimus, vt omnia talia in examine huiusmodi deducta Concilij correctionem & directionem recipiant opportunam. Hoc etiam in eisdem nostris Litteris adiecto vt nullus inobedientia notam &

Canonica vltionis acrimoniam vitare desiderans, fallacium excusationum velamento se muniat, vel ex impedimentis itinerum, qua Domino praua in directa, & in vias planas aspera sua omnipotentia conuertens, cessabunt friuola allegationis munimenta confingat, vt à tam Sancti prosecutione operis se subducat, sed occurrant singuli voluntarij ad id quod & diuina congruit voluntati, & salutem animarum ac vtilitatem respicit singulorum. Caterum quia multipliciter expedit vt tam celebre Concilium tua & aliorum Catholicorum Principum decoretur præsentia, vt salubri consilio & auxilio fulciatur, Serenitatem Regiam rogamus & hortamur attentius in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatenus præscriptis loco & termino in eodem Concilio captata interim ad hoc opportunitate studeas personaliter interesse, meditatione prouida prudenter attendens, quod in hoc non solum labor quem ad tam sancti & vtilis negotij promotionem assumes, tibi cedet ad meritum, verum etiam aliorum qui ad veniendum ad idem Concilium efficatius tuo inducentur exemplo, & nihilominus vota tua nobis poteris familiarius aperire, qua in omni beneuolentia libenter ad exauditionis gratiā quantum cum Deo ac Ecclesia honore poterimus admittemus. Datum Pictauis secundo Idus Augusti Pontificatus nostri Anno tertio.

IOANNES PAPA XXII. CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO... REGI
Sueciæ illustri.

Anno 1316. *IN deuotione Matris Ecclesia sicut benedictionis filius perseuerans eius beneplacitis libenter adhæres, ipsamque veneraris vt matrem cum reuerentia filiali: propter quod Celsitudinem tuam ad eorum promotionem speramus inuenire paratam, qua ipsius Ecclesia honorem contingunt, ac nostris & Apostolica Sedis noueris affectibus placitura. Cum itaque Census, qui vocatur denarius Beati Petri in Regno tuo debiti Ecclesia Romana à pluribus retroactis temporibus eidem Ecclesia non extiterit persolutus. Nosque ad conseruationem iurium Ecclesia eiusdem solliciti, vt tenemur, studiis intendentes, collectionem census eiusdem dilecto filio.. Electo & Capitulo Vpsalen. per nostras sub certa forma lite as, duxerimus committendam, Magnitudinem Regiam paterno rogamus & hortamur affectu, quatenus Electo & Capitulo supradictis Regii fauoris auxilium circa collectionem huiusmodi quod speramus & credimus in hac parte debere multipliciter existere fructuosum pro nostra & dicta Sedis reuerentia liberaliter largiaris, vt per hoc eiusdem collectionis negotium facilius prosperetur, nosque Celsitudinem Regiam proinde valeamus cum gratiarum actionibus commendare. Datum Auenion. tertio Nonas Febr. anno primo.*

ELECTO ET CAPITVLO VPSALENS.

Anno 1316. *LICET census qui vocatur denarius Beati Petri in Regno Suetia Ecclesia Romana debitus in eodem Regno per diuersas personas à longis retroactis temporibus nomine ipsius Ecclesia sit collectus, tamen quia pecunia ex huiusmodi denario collecta ad Cameram Sedis Apostolica non peruenit. Nos nolentes quod eadem Camera dicti denarij iure fraudetur, discretioni Vestra per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel aliqui seu aliquis vestrum per vos vel per alium seu alios omnem pecuniam ex dicto denario hactenus per quoscunque collectam vbicunque detineatur seu etiam conseruetur, nec non & denarium ipsum pro eo tempore quo forte solutus non est, & etiam pro futuro vsque ad beneplacitum dicta Sedis nostro & Ecclesia prædicta nomine petere, exigere, & recipere in bona pecunia studeatis: Nos enim vobis vel aliquibus, seu alicui vestrum per vos vel per alium seu alios petendi recipiendi & exigendi pecuniam & denarium supradictos, necnon & computum & rationem, à quibuscunque de ipsis pecunia & denario iam collectis, ipsosque quitandi de his qua receperitis ab eisdem, necnon Contradictores quoslibet & rebelles ac impedientes cuiusque præminentia, dignitatis, status aut conditionis*

ditionis existant per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus si aliquibus communiter vel diuisim à dicta sit sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Absoluendi quoque illos qui dictos pecuniam & denarium statutis terminis non soluissent, postquam per eos fuerit integre satisfactum, ab excommunicationis & quibuslibet alijs spiritualibus sententijs, quas propterea incurrissent, ac dispensandi cum eis si personæ forent Ecclesiasticæ super irregularitate si quam sic ligati sententijs contraxissent se diuinis officijs immiscendo plenam concedimus tenore præsentium potestatem. Volumus autem quod de illa pecunia summa quam pro dicto censu seu denario recipere nos continget nos reddatis per vestras litteras omnis singulis certiores. Datum Auenien. III. Nonas Februar. anno I.

BENEDICTVS PAPA XII. CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO MAGNO REGI Sueciæ illustri salutem.

GRATIÆ *diuinæ præmium & humanæ præconium laudis acquiritur, si per sæculares Principes Prælatis præsertim Ecclesiarum Cathedralium regimini præsidentibus honor debitus impendatur. Dudum siquidem Ecclesia Lunden. per obitum bonæ memoriæ Caroli Archiepiscopi Lunden. Sueciæ Primatis, qui in partibus illis diem clausit extremum, Pastoris solatio destituta, dilecti filij, Præpositus & Capitulum ipsius Ecclesiæ vocatis omnibus debuerunt, voluerunt & potuerunt commodè interesse die ad eligendum præfixa, vt moris est, conuenientes in vnum, ac sancti Spiritus gratia inuocata deliberantes in ipsius Electionis negotio per viam procedere compromissi dilecto filio Nicolao Bunkaflo eorum Canonico seniori assumendi quatuor alios de dictis Capitulo fidedignos, de quibus sibi videretur, & tam sibi quam dictis quatuor sic assumendis per eum prouidendi ea vice ipsi Ecclesiæ de Pastore de seipsis, vel de alio idoneo, de gremio tamen dictorum Capituli, concesserunt vnanimiter potestotem vsque ad consumptionem vnius candelæ ibidem accensæ tantummodo duraturam; promittentes præfati Præpositus & Capitulum illum in eorum Archiepiscopum accipere & habere, de quo ipse Nicolaus & quatuor assumendi prædicti præfatæ Ecclesiæ ante consumptionem dictæ candelæ ipsi Ecclesiæ ducerent prouidendum, ipseque Nicolaus Petrum tunc Decanum & dilectos filios Bolingertum Præpositum, Karoctum Archidiaconum, & Petrum Suenonis Canonicum eiusdem Ecclesiæ in Compromissarios ad prouidendum ipsi Ecclesiæ iuxta potestatem sibi traditam vna secum assumpsit: Et deinde Nicolaus Præpositus Archidiaconus & Canonicus prædicti, vna cum dicto Petro Decano huiusmodi potestate recepta secedentes in parte post multos & varios tractatus, primo intra seipsos & deinde cum singulis de dictis Capitulo habitos, in dictum Petrum Decanum vota eorum concorditer direxerunt, ac præfatus Belingerius ex potestate sibi ac suis Collegis prædictis tradita, vice sua & Collegarum ac Capituli prædictorum ibidem præsentium, & eorum nomine eundem Petrum tunc Deconum in Sacerdotio constitutum, ante dictæ candelæ consumptionem in Archiepiscopum Lunden. elegit, quam electionem præfati Capitulum concorditer acceptarunt, eam postmodum Clero & populo solenniter publicarunt: deinde idem Petrus tunc Decanus electioni huiusmodi de se factæ illius sibi præsentato decreto ad instantiam capituli prædictorum consentiens ad sedem Apostolicam personaliter accessit, & tam ipse per se ipsum, quam præfati Capitulum per eorum Oratores, Procuratores, & Nuncios idoneos ad nos propter hoc specialiter destinatos, præsentantes nobis huiusmodi electionis decretum, à nobis cum instantia petierunt, vt electionem huiusmodi confirmare de benignitate Sedis Apostolicæ dignaremur in præmissis omnibus Statutis à iure temporibus obseruatis: Nos itaque electionem ipsam dictique Electi merita per Venerabilem Fratrem Anibaldum Episcopum Tusculanum, ac dilectos filios nostros Petrum tituli Sancti Martini in montibus Presbyterum, ac Iacobum Sancti Georgij ad velum aureum Diaconum Cardinales examinari fecimus diligenter, & facta nobis ab eisdem Episcopo & Cardina-*

Anno 1335.

libus super hoc relatione plenaria & fideli, quia prædictam electionem inuenimus de dicto Petro Decano viro vitæ laudabilis, morum honestate decoro, litterarum scientia prædito, in spiritualibus prouido, & in temporalibus circumspecto, & alijs multiplicibus virtutum meritis insignito canonice celebratam, eam de Fratrum nostrorum consilio auctoritate Apostolica confirmamus dictumque Petrum Decanum præfatæ Lunden. Ecclesiæ præfecimus in Archiepiscopum & Pastorem, curam & administrationem ipsius Ecclesiæ eidem tam in Spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, eidemque postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Gantelmum Episcopum Albanen. munus fecimus consecrationis impendi firma spe fiduciaque tenentes, quod eadem Ecclesia per eiusdem Electi circumspectionis industriam prospere dirigetur, & salubria dante Domino suscipiet incrementa. Cum itaque fili charissime sit virtutis opus Dei ministros benigno fauore prosequi eos verbis & operibus pro Regis æterni gloria venerari, Serenitatem Regiam rogamus & hortamur attente, quatenus eundem Electum & præfatam Ecclesiam Lunden. suæ curæ commissam habens pro Apostolicæ sedis & nostra reuerentia propensius commendatos ipsos benigni fauoris auxilio prosequaris: ita quod idem Electus tuæ Celsitudinis fultus auxilio, in commisso sibi pastorali officio possit Deo propitio prosperari, ac tibi exinde à Deo perennis vitæ præmium, & à nobis congrua proueniat actio gratiarum. Datum Auenion. IV. Calen. Martij anno secundo.

CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO MAGNO SVECIÆ GOTTHORVM, ATQVE Noruegiæ Regi illustri.

Anno 1338. SICVT *vota Principum in his quæ possunt absque cuiuspiam præiudicio de mera sedis Apostolicæ liberalitate procedere libenter ad gratiam exauditionis admittimus, sic cum prospicimus ex rationabilium consideratione causarũ in talibus posse versari dispendia aliorũ, illa differimus exaudire. Sane petitionis pro Regia parte tua nobis exhibitæ series continebat, quod quondã Christophoro tunc in Regno Datiæ dominante suis demeritis exigentibus de Regno ipso violenter eiecto, maior & sanior pars Prælatorum, Cleri, Magnatum & personarum Nobilium Terræ Skaniæ dicti Regni Datiæ, necnon Communitas eiusdem te in eorum Regem ac Dominum affectantes tibi iuramentum fidelitatis & homagij, tanquam eorum vero Regi & Domino præstiterunt, ac demum eisdem ob defensionis defectum in corporibus & rebus eorum nimium prægrauatis, tu pietate motus & pro dicta Terra Scaniæ memorati Regni Daciæ ad statum prosperum reducenda quibusdam Tyrannis qui Regnum ipsum eiusque munitiones & Castrum tunc de facto occupata tenebant, vt ab inde recederẽt, ac Clerum & populum dictæ Terræ quos opprimebant immaniter, in pace dimitterent, triginta sex millia Marcarum argenti puri sicut asseris persoluisti, volens propter hoc guerrarum malis & dispendijs tuorum, eidemque Terræ damnis & violentijs obuiare. Quare nobis humiliter supplicasti, quod cum dicta Terra Scaniæ dictorum Regnorum tuorum sit ianua & clausura; per quam si ad manus alienas perueniret tibi tuisque subditis & posteris guerræ & mala innumera possent proculdubio suscitari, tibi tuisque posteris & hæredibus dictam Terrã Scaniæ per te tuosque posteros & hæredes retinendam perpetuo & etiam possidendã confirmare auctoritate Apostolica dignaremur; adijciens in supplicatione prædicta tibi concedi, vt si quas alias terras dicti Regni Daciæ acquirere adhuc possis in parte vel in toto de manibus Tyrannorum prædictorum, quod hoc facere valeas de nostra licentia speciali, maxime cum dictum Regnum Daciæ in nullo vnquam fuerit subiectum imperio, sed Romanæ Ecclesiæ censuale, quem censum paratus esses soluere, secundum quod deuoti & fideles Reges dicti Regni hactenus exoluebant. Licet igitur fili ob merita tuæ deuotionis eximiæ, quam erga dictam Romanam Ecclesiam te habuisse & habere percepimus, libenter tuam & hæredum tuorum personas, quantum cum Deo & iustitia possumus fauoribus Apostolicis prosequamur. Quia tamen iustitia debitum exigit, & mos obseruationis antiquæ prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum introduxit, vt ad confirmationem huiusmodi bonorum temporalium nisi ci-*

tatis

tatis omnibus qui fuerunt euocandi, & inquisita prius de statu talium bonorum diligentius veritate quomodolibet procedatur ad confirmationem huiusmodi & concessionem aliorum quæ vt præmittitur postulabas non duximus, sicut nec iuste potuimus procedendum. Regalem tamen Excellentiam tuam illa beneuolentia speciali prosequimur, vt libenter in aliis tibi gratis & vtilibus placeamus. Cæterum ex abundanti licet fore necessarium non credamus, circumspectionem Regiam hortamur, requirimus & rogamus attente, quatenus ab indeuotorum eiusdem Ecclesiæ societate, confœderatione & colligatione omnino debeas abstinere, nullum eis quamdiu in eiusdem Ecclesiæ indeuotione persistierunt præbendo auxilium, consilium vel fauorem, ne quod absit, propter hoc illis, quibus dicti indeuoti cum eorum participibus inuoluti sunt pœnis atque sententiis propter eorum participium similibus inuoluaris, sed illorum conuersationem & societatem euitans, sic te reddas eidem Romanæ Ecclesiæ Matri tuæ in omnibus deuotum, placidum, & acceptum; quod nos & eadem Ecclesia ad tuos profectus & commoda rationabiliter intuemur. Datum Auenion. decimo Calendas Februarij anno quinto.

INNOCENTIVS PAPA VI. CHARISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ BLANCHÆ Suetiæ & Noruegiæ Illustri salutem &c.

DILECTO *filio Ioanne Pilaberti Decano Ecclesiæ Tarbaten. Apostolicæ sedis Nuntio, cum adhuc esset in partibus ipsis, & postquam ad Apostolicam sedem venit insinuante ac referente percepimus, quod tu habens ad nos & Romanam Ecclesiam, cui auctore Domino præsidemus, sinceræ ac filialis deuotionis affectum ipsi Nuncio nostro & ipsius Ecclesiæ negotia prosequenti in huiusmodi eorundem negotiorum promotione fauorabili efficacibus & opportunis auxilijs astitisti. Super quo magnitudinem tuam vberibus gratiarum actionibus prosequentes, fauores tibi Apostolicos in opportunitatibus tuis gratanter offerimus, & vota tua quantum cum Deo poterimus ipso propitio pate: nis affectibus prosequemur. Cæterum quia grauibus & vehementibus necessitatibus, quas Charissimo in Christo filio nostro Magno Regi Sueciæ & Noruegiæ illustri viro tuo per alias nostras litteras compendiose describimus importabiliter premimur, & proinde præfatum Regem affectuose precamur, vt de pecunijs, quas ad nos & dictam Ecclesiam pertinentes ab eodem Nuntio recepit, & quas restituturum se promisit, vt nosti, nobis & eidem Ecclesiæ satisfacere non postponat; Nos assistentia tua vtile præsidium super hoc inuocantes Serenitatem tuam attente rogamus, quatenus eundem Regem quod nostris in hac parte precibus annuat, & effectualiter condescendat, pro nostra & Apostolicæ sedis reuerentia des operam efficacem: ipsumque Nuntium ad partes ipsas de mandato nostro præsentialiter reuertentem benigne suscipias commendatum, sibique auxilia, fauores, & præsidia consueta impendas in fauorabili promotione huiusmodi agendorum: Indubie tenens quod deuotionem tuam huiusmodi Apostolicis fauoribus prosecutionibus compensabimus dante Deo. Datum Auenion. sexto Calendas Martij anno quarto.* Anno 1355.

CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO MAGNO REGI SVECIÆ ET NORVEGIÆ illustri salutem &c.

IN *præcipuis Principibus inclytisque personis illa vigere cernitur excellentia veritatis, quæ quæ per eos digne promittuntur, præfinitis terminis compleantur. Sane dilecti filij Henricus Biscop Canonicus Lubiten. noster & sedis Apostolicæ Capellanus, & Ioannes Pilaberti in partibus tibi fili subiectis Apostolicus Nuntius deputatus munificentias & tuitiones Regias, quibus ipsos & familiares suos ac eorum bona manutenueras retulerunt læta facie nuper nobis quas in Domino commendamus, nec non quindecim Millium florenorum auri summã vel circiter de qua partem* Anno 1358.

aliquam persoluisti, quam pro tuis supportandis oneribus ab eodem Nuntio de pecunijs Apostolicis diceris recepisse, & ratione retardatæ solutionis, quod displicenter audiuimus Apostolicas sententias incurrisse, ac pro tali initiatu publice perstitisse. Quas siquidem Fili sententias propter honorificentiam solij tui Regiam ad quam afficimur non indigne suspendi iussimus per Henricum primum hinc ad Resurrectionis Dominicæ instans Festum de gratia speciali, quam tibi fili & tuis uberiorem libentius fecissemus, nisi expensarum sarcina per immensa pro guerris mundi notis Terrarum Ecclesia Sancta Dei nos nimium coarctaret. Quocirca Serenitatem tuam rogamus attentius & hortamur, quatenus ob diuinam Dei & Apostolicæ sedis reuerentiam, tuique solij Regij venustatem restam pecuniæ persoluendam in termino stabilito iubeas indefesse manualiter assignari taliter quod resta huiusmodi suo termino teneat locum suum, sedesque præfata ad erogandas ampliores munificentias inuitetur, super quibus & dependentibus ex eisdem sæpe fato Henrico velut ab ore nostro prolatis velis fidem indubtam adhibere. Datum apud Villam nouam Auinion. Diœces. XV. Calendas Iunij Anno octauo.

GREGORIVS PAPA XI. CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO ALBERTO REGI

Sueciæ illustri salutem &c.

Anno 1372. AD *illa te fili libenter inducimus & precibus exhortamur quæ honestatem sapiunt, teque in conspectu Regis æterni reddere valeant gratiosum. Sane nuper ad nostrum peruenit auditum, quod tu ex nonnullorum Prælatorum partium earundem inductione quod collectores fructuum Cameræ nostræ Apostolicæ fructus, prouentus, & debita ipsius Cameræ nostræ Apostolicæ in Terris tuæ ditioni subiectis recuperare valeant non permittis. Ideo Serenitatem tuam attente rogamus, quatenus pro nostra & Apostolicæ sedis reuerentia Venerabilem Fratrem nostrum Henricum Episcopum Slesuicen. in partibus illis Apostolicæ sedis Nuncium & alias quascunque gentes dictæ Cameræ huiusmodi fructus, prouentus & debita dictæ Cameræ recipere & recuperare, & per huiusmodi Terras tuas libere incedere, & ipsis de saluo conductu si expedit prouidere, ac eos habere recommendatos sinceritas tua velit. In præmissis taliter te habendo quod Omnipotentem tibi Dominum constituas propitium, nosque deuotionem tuam non immerito commendare possimus. Datum Auenione tertio Idus Martij anno secundo.*

NOTI-

NOTITIA MONASTERIORVM QVÆ OLIM IN SVECIA AC Gothia floruêre.

A.



BOGIÆ *Virginum Cœnobium Anno Christi* 1370. *fundatum à Ioanne Episcopo Aboense.*
Aluastræ *Fratrum Ord. Cist. dictum S. Mariæ de Aluastra, à Suerchero Rege erectum Anno* 1150.
Arbogiæ { 1. *Frat. Ord. S. Francisci à Magno Ladelos Rege fundatum.*
2. *Frat. Ord. Prædicatorum.* }
Arosiæ *Frat. Ord. Præd.*
Ascabii *Frat. Ord. S. Francisci.*

C.

CALMARIÆ *Frat. Ord. Præd. ab Erico XI. fundatum.*
Corsense *in Alandia Virg. à Berone Balk Episcopo fundatum anno* 1400.
Crokeek *super Colmolen Frat. Ord. min. S. Franc.*
Cronabek *Frat. Hospitalis S. Ioannis.*
Cumlaboda *in sylua Tivveden Fr. Eremitaram S. Antonij.*

E.

EEKHOLM *in Insula lacus Meleri Frat.*
Enecopiæ *Frat. Ord. min. S. Franc.*
Eschilstunæ *Frat. Hospitalis S. Ioannis.*

G.

GEVALIÆ *Frat.*
Gripsholm *Carthusianorum à Stenone Sture Fund. anno* 1491.
Gudheem *Virginum à S. Guda Regina erectum anno* 1054.
Gudualda *Frat. Ord. Cisterc.*

H.

Husabii *Frat. Ord. Cist.*

I.

IANOCOPIÆ *Frat. Ordin. S. Franc.*
Iulita *dictum S. Saba. Frat. Ordin. Cister. à Carolo Rege inchoatum.*

K.

Kiœping *Fratrum Ord.*

L.

LINCOPIÆ *Fr. Ord. min. S. Fr. à Magno Ladelos fundatum.*
Ludosiæ *Frat. Ord. S. Franc.*
Luræ *in Vermelandia Frat.*

M.

MONS Mariæ *Virg. à Magno Ladelos fund.*
Munkarorp *in Vesmannia Frat. S. Dauide Abbate celebre.*

N.

NADENDAAL *seu Vallis gratiæ prope Abo.*
{ 1. *Virg. Ord. S. Brigitta.*
2. *Frat. Ord. S. Brig.* }
Magnus Olai Episcopus Aboensis fundauit Anno 1425.
Nycopiæ *Frat. Ord. S. Franc.*
Nydaal *Frat. Ord. Cister. à Gislone Episcopo Lincopen. fund. Anno* 1151. *à Suerchero Rege locupletatum.*

O.

OEREBROO *Frat. Carmelitanorum.*
Oeregrund *Frat.*

R.

RAVMÆ *Frat. Ord. Prædic.*
Reualiæ { 1. *Virg. Ord. S. Brig.*
2. *Frat. Ord. S. Brig.* }
Risabergæ *Virg. à Suerchero Rege fund.*
Rooslagh *in Vplandia Frat.*

S.

SCHENINGIÆ { 1. *Frat. Ord. Præd. ab Erico XI. fund. à Magno Ladelos locupletatum.*
2. *Virg. Ordin. S. Dominici à S. Ingride fund.* }
Sigtunæ *Frat. Ordin. Præd. à Iarlero Archiepiscopo Vbsalen. fund. An.* 1234.
Schogh *Virg. Ord. Cist. in lacu Meleri.*
Scaræ { 1. *Frat. Ord. Præd.*
2. *Frat. Ord. min. S. Franc.* }
Srokholmiæ { 1. *Frat. Ord. Præd fund.* 1270.
2. *Virg. S. Claræ à Magno Ladelos fund. anno* 1285.
3. *Frat. Ord. min. S Franc. ab eodem fund.*
4. *Frat. Hospitalis S. Ioan.*
5. *Confraternitas & Capella S. Georgii.* }
Stregnesiæ *Frat. Ord. Præd.*
Suartsioe *Frat. Carthusianorum.*
Sudercopiæ { 1. *Frat. Ord. min. S. Franc.*
2. *Domus S. spiritus & confrat.* }

V.

Varnamo *in Vermelandia Frat.*
Vastenæ { 1. *Virg. Ord. S. Brig.*
2. *Frat. Ord. S. Brig.* }
Varnhem *Frat. Ord. Cist. à Carolo Rege fund. Anno* 1186. *à Canuto S. Erici filio locupletatum.*
Vbsaliæ { 1. *Frat. Ord. S. Franc.*
2. *Frat. Ord.* }
Vexioe *Frat. min. Ord. S. Franc.*
Viborgi { 1. *Frat. Ord. S. Franc.*
2. *Frat. Ord. Præd.* }
Visbii *in Gothlandia Lincopen. Diœcesis Frat. Ord. Præd.*
Wretæ *Virg. Ord. Cist. à Carolo Rege fund.*

FINIS.

